Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Botsack Johannes Bentherus

Scrutinium Scripturae Sacrae, Cuius citeriorem partem

[Danzig]: Rhetius, [ca. 1640]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786501944

Druck Freier Zugang



52

Fa 1092 (52.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786501944/phys_0002
DFG

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ MISCELLANEÆ.

Tomo hoc XCVII. comprehensæ.

Scrutinium Scripturæ Sacræ. Pr. Petr. 1.
Conformitas Judæo-Papistica in loco
de Scriptura Sacra. Pr. D. M. Geseero. 2.
De Analogia Fidei. Pr. D. Abr. Calovio. 3.
De Interpretatione Scripturæ S. P. Mylio. 4.
De SS. Scripturæ Authoritate, Perfectione
ac Perspicuitate. Pr. M. El. Veselio. 5.
De Hermeneutica vera et falsa. ad 2.
Pet. 1. v. 20. 21. Præs. D. D. Hebelio. 6.
De Cognitione DEI definitiva, an detur.
Pr. M. Joh. Wemmamo. 7.
De Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr.
Sebast. Niemanno. 8.
De Personarum divinarum distinctione,
an et quænam illa sit. Præs. Eodem. 9.
De Actione DEI prima, in tempore, q.
dicitur Creatio. Pr. M. Joh. Wemmamo. 10.
De Permissione divina circa peccata. Pr.
M. Christiano Chemnitio. 11.
De Appantionibus Dæmonum. Pr. D. Joh.
Meisnero. 12.
De Natura et Quiditate Luminis Gloriæ. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 13.
De Peccato Veniali. Præs. Eodem. 14.
De Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. M.
Joh. Wemmamo. 15.
De Phrasi Scripturæ, qua DEUS dicitur
Indurare, Excecare. &c. Pr. D. S. Schmidt. 16.
De Viribus Liberi Arbitrii in Conversione.
Pr. D. Sebast. Niemanno. 17.
De Actione DEI prima ab æterno, quæ
dicitur Prædestinatio. Pr. M. S. Wemmanno. 18.
De Phrasi Scripturæ, Deletionis à Libro
Vitæ. Præs. D. Sebast. Schmidt. 19.
De Fœmina Circumdante Virum, tam
quam novo, quod creavit Dominus. ex
Jerem. 31. v. 22. Pr. Habichhorstio. 20.
De Aphorismo Joh. ch. 1. Verbum Caro
factum est. Pr. M. Joh. Wemmamo. 21.
De Aphorismorum Theolog. De Incarnatione Filii DEI Domini N. J. C.
Pr. & Præs. Eodem. 22.
De Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. v.
16. DEUS manifestatus est in Carne.
Parallelismus Casimiri Nestoriani.
Præs. Johanne Adamo Scherzero. 23. Cod.
24.

Collecta à M. Antonio Ulrico
Comp. Tubingæ. Primo
d. 14. Julij.

De Triplici Officio Christi. Præs. 25.
D. Michael Behmio.
De Problemate Theologico, An Articulus Fidei de Ascensione Christi
in Cœlos quicquam deroget veræ
Corporis et Sanguinis Ejusd. Præsentiæ in S. Cœna. Præs. D.
Cœlestino Myslenta. 26.
De Pœnitentia Pestiarum Ninivitica, ad Jon. c. 3. comm. 5. Præs.
Joh. Friderico Mayero. Licent. 27.
De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan.
Andr. Quenstedt. 28.
De Numo Confessionario, Rom. Pontif.
præsumpt. Comment. Auth. J. P. Müller. 29.
De Satisfactionibus propriis pro poenis temporalibus remissæ culpæ
in hac Vita. Pr. D. Joh. Behmio. 30.
De Regula Juris Naturæ. Pr. D. Pebal. 31.
De Conflictu Pontificiorum Septenario Sacramentorum Numero.
Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 32.
De Baptismo. Pr. M. Lev. Pouchenio. 33.
Quæst. Cas. Cum Abstemius quid
agendum in SS. Synaxi Gitc. Cod. 34.
Analysis quæst. ex 1. Cor. 10. Præs.
D. Joh. Behmio. 35.
De Fide in Messiam Patriarchali.
ex Genes. 49. v. 18. Pr. D. S. Schmidio. 36.
De Donis Operibus. Pr. M. S. Wemmanno. 37.
De Donis Operibus. Pr. D. S. Niemanno. 38.
De Bonorum Operum Necessitate.
Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 39.
Idea Clavis Ligantis. Pr. D. Damhaw. cr. 40.
Τὸν καινὸν διαθήκην, τὴν καινὴν διαθήκην. 41.
Pr. H. Groenio.
Purgatorium exustum à Papistas.
Pr. D. Joh. Adamo Scherzero. 42.
De Reliquis Christi et Sanctorum
cultu. Pr. D. S. Niemanno. 43.
De Resurrectione Mortuorum.
Pr. M. Lev. Pouchenio. 44.
De Resurrectione Impiorum. Pr.
D. Johanne Meisnero. 45.
Contra Empædias Promissionis
Adventus Christi Ultimi. Pr. D. Wemmanno. 46.
De Gemitu Creaturæ & intelligentis.
Pr. D. J. Christophoro Ottone. 47.
De Appellatione ad Supremum Judicem Jesum Christum. Pr. J. E. Gerhardo. 48.
Fasciculus Virentium. Præs.
D. Sebastiano Schmidio. 49.
Hoffæro. Augustano.
1680

Scrutinium

SCRIPTURÆ SACRÆ,

Cujus citeriorem partem,

PRÆSIDE

JOHANNE BOTSACCO;

S-S. Th: D. & P. P. Gymnasii Moderatore,
& ad S-S. Triados verbi Ministrô,

Ad divinos honores propagandos, ardui & Principis hujus LOCI certitudinem indagandam, sui informationem in hoc studiorum genere augendam, & adversariorum audaciam infringendam, *quantum dia benignitas, & ingenij tenuitas largientur.*

DEFENDERE

JOHANNES BENTHERVS Neo-Trebtoâ Pom: valedicturus in celeberrimô Gedanensium Minerviô publicè conabitur 27. Mart: hor. antem: in Aud. Maj.

Johan. 5. 39.

ΕΡΕΥΝΑΤΕ ΤΑΣ ΓΡΑΦΑΣ.

אֵין דִּבְרֵי הַמְּרוּמוֹת אֶל חֵי דְּבָרֶיךָ׃
עַל־כֵּן אָשִׂיחַ זֹאת׃ תֵּן אֶת־בְּרָכָתֶךָ׃

Ἔστιν ἀνεῦ ψεύδους τα γραφημαΐά σε παράγοντος;
Δῶκ' ἄρα ἔγκαρπον τῶν μελέτημα, ΘΕΟΣ.

Sunt Tua verba, DEUS, queis non frustraris. Ut ergo
Nec fustra mediter da Tua verba, DEUS.

Ex Officina GEORGI RHETI, Reipub. & Lycei Typo-thetæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786501944/phys_0005
DFG

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, STRENUIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMISQ. DOMINIS:

DNO: ECCARDO à KEMPEN, Præconsuli & Proto-Scholarchæ
NATHANAELI Schmiedenn Cos.
NICOLAO Pahlenn Cos: & p. t. Prætori
Dantiscano.

HENRICO FREDERO Syndico
ADRIANO von der Linde Scabino
CONSTANTINO von Holtenn Equiti ac Patricio

Nec non

Nobilissimo, Eruditionis & Fortunæ dotibus eximio
VIRO,
DN. JACOBO HILTEBRANDO
Negotiatori Gedanensi florentissimo:
Omnibus ac singulis litterarum ac litteratorum amantissimis
SACRVM.

ECCARDUS à KEMPEN, Reip. Dantiscanæ Præ-Consul, ut & Proto-Scholarcha,

Per *Anagramma.*

(a) *Peccanti præbet punita dulce levamen*
Scriptura; Ah codex, (b) *anchora sola, sacer!*
(cs. in x; & K in C. mutatis.)

Vel:

ECCARDUS à KEMPEN, Reip. Dantiscanor. Præ-Consul ut & Proto-Scholarches.

Per

Per Anagramma.

(c) *Culpam eccur Lutherus habens?* (d) *Sapientia certò*
Corruptrix. Demo nec Panacea dolos?

(C. vices τ & K subit, & Cs. contr: in X.)

NATHANA-EL SCHMIDIUS,
Gedani Prutenorum Consul.

Per Anagramma.

Lex (ad Scripturas!) à (e) *Numine condita* (f) *lumen*
Vnô - - - - - - - -

(utraq; asp: omissâ. & CS in X contr.)

Vel:

NATHANA-EL SCHMIEDIUS,
Gedani Prutenorum Consul.

Per Anagramma.

(g) *Tradita onus vanum lex; Prensa in codice* (h) *lumen.*

(idem & hic notandum.)

NICOLAUS PAHLENUS, CONSUL
atq; primarius Reip. Dantiscanorum Judex.

(S. locô X. suppositô.)

per Anagramma

Nil schisma uberiùs scripturâ (i) *judicat unquam,*
Callens vesano ponere dia lupo,

HENRICUS FREDERUS,
Reip. Dantiscanæ Syndicus

(cs. iterum in x. contr: & y. in ii resol:)

Heus, in scripturâ (credis?) venerabilis index
(k) *Facundiæ* - - - ---

ADRIANUS à LINDA,
Patriæ Gedanensis Scabinus
per Anagramma.

(l) *Sed variabilia in sensu an das scripta neganda?*

VEL:

Adrianus de Lindâ, in patriô Gedanô Scabinus
Per Anagramma.

Die Andabatis, Sinon, non (m) *regula, pera Davidis.*

CONSTANTINUS ab HOLTEN,
Eques ac Patricius in Regiô Dantiscô.
per Anagramm.

(n) *Non studij tolerans Circei pagina obesse*
Sancto quit cantu ----------. (aspirat: posthabitâ)

Vel:

(o) *Incantasse dolô scriptura nequibit inani,*
(p) *Haut & cognosces.*

JACOBUS HILTEBRANDUS,
felix Gedani Mercator.
per Anagramma.

Biblicus haud codex (q) *rationis fert malè-regna.*

(a) *Generale.* (b) *respicit ad* probl. VI. *per comparationem: Quâ enim* anchora*: Eâ necessitate &* scriptura *necessaria.* (c) ad probl. IX. (d) ad probl. X. (e) ad probl. II. *Deus enim* mandatô condidit scripturas (f) *ad Th. 88.* (g) *ad* probl. IV. Assert: VI. & probl. I. (h) *idem quod* f. (i) *ad* mantiss; 3. (k) *generale: vel ad Dnm. Synd. Facundiæ laude celebrem: vel ad mant: 4.* (l) ad probl. V. (m) *ad* probl. III. (n) *ad* probl. VII. (o) *idem quod* n. (p) *ad* probl. VIII. (q) *idem quod* p. *& ad* probl. X.

ΕΞΗΡΗ-

ΕΞΗΓΗΣΙΣ NVNCVPATORIA.

NIl venerabilius *Trin-vnum* condidit unquã
Numen ſcripturis, *ex quô nos arte* doliſq́;
Corruptor *Stygius*, Sinon *Phlegethontis*, & *Orci*
Incantat Circe. Sed tu, veſana luporum
Turma, haut cognoſces *illud*; *Tibi* tradita lex eſt
Et *curæ* & *cordi*; *Mundi* ſapientia, *coram*
Stulta DEO, præſtat, ſacra pagina *vilior algâ eſt*.
Aſt homo, veſano *poſtica reclude cerebro*,
Cæcæ & *dictamen* rationis, *ſcommata*, deme;
Nam delirantis non fert malè-regna; *Recuſat*
Biblicus id codex. Et *ſi nunc æthera laudem*
Vſq; ad flammiferum diffuſam inducere ſanctô
Cantu *molirer*: *Spatio res* paginæ obeſſet.
Verbô: Onus eſt vanum lex Tradita, *nullibi* lexq́;
Scripta, *eadem* vario variabilis *uſui*, & *arti*
Commodior, variis atq́; *obfuſcata tenebris*.
Sed variabilia in ſenſu ſunt dia neganda
Scripta; *Horum* lex eſt â Numina condita lumen,

Quod vel Circei ſtudii, *Magicûmve* nequibit
Technarum tolerans, *aut* incantaſſe *frequenter*,
Aut id obeſſe *genus*: *Vel*, *cerei adinſtar*, inani
Flexibile eſſe dolô. *Super hæc apponere* dia
Atq; ſat argumenta lupo *firmiſſima* callet,
Vt ſchiſma uberiùs nil ſit *quod* iudicet unquam;
Atq; nec illa manu parcâ; *Sed divite promit*,
Melliſluæ ut credatur ei facundiæ ineſſe
Theſaurus, theſauri *iterum* venerabilis index.
Peccantem punit, punito dulce levamen
Suggerit; *Afflictos erga* eſt Panacea; *Rebelles*
Atq; Andabatas eſt pera Davidis *in hoſtes*,
Effronti fronti fatales fortè lapillos
Præbens; *Quaſſatis* eſt anchora ſola *miſellis*.
Ah ſacer! Ille ſacer codex! ô dulce levamen!
O *Medicina iuvans!* O *arma*! Et ô anchora codex!
Quisquis es heus *igitur* prēſa hôc in Codice lumē:
(Nam *deſperatis* unum *prope rebus aſylum*:)
Vt nos prenſamus. *Sed gens inimica quid inſit*?
Vos, *& de cujus ſortiti nomine nomen*,
Vos corruptores Scripturæ: *Aſperrima* labes!
At puris manibus prenſemus, credis, *avite*
Mendax, Scripturas? Scriptura eſt Regula *nobis*:

Non

Non corrumpenti quit *idem.* Sed, *ſubdole* Sinon,
En quæ impoſtori pro nobis Ipſa reponat:
Culpam eccur Lutherus habens? Sapientia certò,
Corruptô *in cerebrô reſidens, hôc crimine digna,*
Illa eſt corruptrix. Sed nec Panacea doloſos,
Atq; dolos demo? Demam, *ni ſcommata* dement·
An das, *inſontes cum Præceptore Lutherô*
Diſcipulos, Sinon? Da, nos venerabimur *iſthoc*
Scriptum *perpetuò: Nec ferrum verba repellet.*
Ad vos, Magnifici Domini, Gedaniq; Colvmnæ,
Et Phoebeiorvm Favitores, Atqve Patroni
Magni, *me verto; Quia veſtras* biblia *novi*
Delicias, tantâ Vos & *pollere peritos*
Doctrinâ, ut quanti ſcrutari ſcripta *Prophetûm*
Referat, â Vobis minimè queat eſſe *remotum:*
Inſuper hos Veſtrô flores ſub ſole, calenti
Codicis ex ſacri *cum Muſa relegerit hortô*
Noſtra: Illos dignis gratus quoq; nuncupo Veſtris
Nominibus; ſupplexq; precor, ſuperaddite tantum
Laudibus, in totô quæ perſonuere Lyceô,
Vt *celebri* Theſibus *Veſtrô pro more benignam*
Dextram, & *porrectum frontem* præbere queatis.

Non

Non me; Namq; minor; Sed quæ dictante IEHOVAH
Sancti exararunt, Vestrô puto digna favore:
Et mihi sufficiet, si, cum discesſero, tali,
Vt solidô, innitar fundamine. Sicq; valete
O MECÆNATES: *Ventis & vela daturum*
Iam nunc, (si quando res sic tempusq; jubebunt,)
Fluctibus in vestrum superatis ducite portum,
Atq; ibi pergratâ requie date, quæso, fruiſci.

Ita exoptat
M.um & A.um V.um
Tuæq; N
Obſervantiſsimus
JANVS BENTHERVS
P. A. & R.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786501944/phys_0012
DFG

JOVA JUVA

De

Scripturâ ſacrâ

Diſputatio poſterior

Reſpondente

JOHAN. BENTHERO. POM.

UT geminæ iſtæ columnæ, quibus ſuperſtructa domus Philiſtiim, ubi fortiter concuſſæ lacertis Manoidæ, corruerunt, & quicquid ſuper iis exſtructum ædificij Jud. 16. 29. 30. Ita Eccleſia, quæ domus dicitur 1. Tim. 3. 15. Heb. 3. 6. licet unicô gaudeat fundamentô, quod Chriſtus ille Filius Dei viventis Matth. 16. 18. præter quod nulli aliud ſubſtitui ponive poteſt 1. Cor. 13. 11. Tamen binis exædificata innititur columnis; Scriptis ſcilicet V. ac N. T. fatente Apoſtolô Eph. 2. 20. Sed quot hìc arietes? Quot demoliri præſumentes ſibi hoſtes? Quocirca, quamvis paraſtatis haud indigeat, quippe ſuâ naturâ tam ſolida, quàm quæ maximè Matth. 16. 18. Tamen ne vim ſpatiantur columnæ iſtæ, ſubinde viſendæ nobis veniunt, absq; inimicorum inſultibus vindicandæ. Eapropter, ut ex ſententiarum collatione planum fiat, num lubricum, num verò ſufficiens, tantiq; oneri ſit ſuſtinendo fundamentum, nuper

sub disquisitionis incudem revocare hanc materiam orsi sumus. Exhibitis autem διασκέψει anteriore præcipuis methodi usitatæ membris, reliqua, nempe Causæ, Effecta, Cognata, Pugnantia, Affectiones, in præsentiarum discutienda relicta sunt. Causas verò cum effectis, quamlibet obiter saltem tractata, invenio ibi Th. VI. De Cognatis & Pugnantibus levis propè est controversia: Ergo Affectiones omne nobis punctum ferent. At-enim & illas Nostrates passim, imò ubiq; habent. Eapropter his ita remotis, ut, quæ aliquod momentum habere visa fuerint, primoribus tamen labris salutemus: Proponere hâc vice decada insolentiorum problematum animus est, quæ non parvam prori diatribe lucem facient. His jam præmisis, ne scilicet violatarum legum methodi, & ἀλαξίας, quam Doctor noster reprobat 1. Cor. 3. 40. dicam quis alterutri scribat, ad rem ipsam, quod felix faustumq; jubeat esse Is, sine cujus Numine nihil est in homine Joh. 15. 5. progressum facimus.

J. J.

QVÆSTIO PRIMA.

An duplex Dei Verbum?

I. *IN antecessum dicimus, (α.) verbum Dei quidem posse dici duplex:* Essentiale *vel Hypostaticum, vel Æternum; Et* prolatum *vel externum:* Illud *Immanu-El noster Ioh. 1. 1. 14.* Hoc Scriptura, *per quam* Illud *nobis revelatur: At de hâc distinctione nullus nobis sermo:* De Illô *enim* in volumine libri scriptum *Ps. 40. 8. Hebr. 10. 7.* De illô testatur Moyses *Ioh. 5. 46.* Moyses & Prophetæ *Luc. 24. 27.* Omnes Prophetæ *Act. 3. 18. 24.*

c. 10. 43. Scriptura *generaliter Ioh. 5. 39.* (β.) *Ergo controvertitur inter nos & Pontificios, an* VERBUM DEI externum *subdividatur in* scriptum *&* non scriptum: Negativam *Orthodoxi*, contrarium *Catholici defensant, per* non scriptum *Traditiones, quas vocant, Ecclesiæ obtrudere discupientes, quippe nullibi expressè, quod largiuntur, scriptas.* (γ.) *Observandum, quod Iac. Gord. Huntlæus Iesuita T. 1. controv. 1. c. 2. §. 4. p. 4. bipartitam hanc divisionem apposuerat; Sed postmodum eâdem non contentus, pro singulari, quâ est, liberalitate addat speciem tertiam:* VERBUM CREDITUM: *T. 1. controv. 2. c. 16. §. 1. p. 192. Mirum, quòd non alias venùm nobis exponat: v. c. 4.* visum *5.* auditum. *6.* lectum. *7,* cogitatum. *&c. cùm & hæ sint appellationes, sive qualitates & conditiones in sacris literis expressæ, ut ipse hujus divisionis rationem reddit priùs cit. locô §. 4. p. 4.* (δ.) *Si saltem appellationes & conditiones, abs re animis dissidemus: Rem enim unam diversimodè posse considerari, faciles largimur.* (ε.) *At si reale discrimen, ut* non-scriptum *planè diversum sit à* scriptô, *& quidam fidei articuli, necessarij ad salutem, non nisi ex verbô non-scriptô haberi possint, quæ vera Adversariorum mens est; Expressè dicimus:* Nullius momenti esse hanc distinctionem Pontificiorum, & unum specie esse Dei verbum, sive id prædicatum, sive id scriptum, sive id creditum, sive visum, sive auditum, sive lectum, sive cogitatum: Nec dari aliquam, præter accidentalem, differentiam. *Rationes.*

II. *Quia* (1.) In V. F. verbum DEI scriptum idem erat cum prædicatô *v. c.* Moyses scribebat OMNES sermones Domini *Ex. 24. 4. Hinc leges* scriptæ *tam sufficienter* prædicatas *continebant, ut severissimis interminationibus ad illas gentem Iudaicam astringeret Dominus Deut. 82. 58. seq. c. 30. 10. Ios. 1. 8. &c, Idem de reliquis esto judicium.*

III.

Pontificiorum distinctionem inter Verbum scriptum et non scriptum

esse nullam

probatur

III. (2.) In N. T. nullum prædicabatur verbum, quod in V. non erat scriptum. *Exempla sunt plurima:* (α.) *Christi aliquot: præcipuum Luc. 24. 27.* (β.) *Apostolorum Act. 2. 14. ad 37. c. 3. 12. ad fin. c. 13. 16. seq. præsertim v. 32. seq.* (γ.) *Apostolicorum virorum c. 7.*. Quid? Quod* (δ.) *ipsius Spiritus S. mos sit, hæc promiscuè usurpare: Nam quod* Dominus dixit *Ex. 9. 13. 16.* idem *quoq;* Scriptura *Rom. 9. 17.*

IV. (3.) In N. T. Spiritui S. ignota hæc distinctio *Act. 26. 22. Nam quod Deo tribuitur Rom. 11. 32. adeoq;* verbo prædicato, id *mox* scripto *Gal. 3. 22. Sic Paulus* (*nomine omnium*) annunciavit omnia ad salutem necessaria *Act. 20. 27. Sed Iohannes* (*nomine omnium*) omnia scripsit *c. 20. 31. Taceam alia dicta, de salute ex Scripturis hauriendâ Ioh. 5. 39. Rom. 15. 4. Tim. 2. ep. 3. 14. 15. 16. 17. &c.*

V. (4.) Verbum Dei scriptum est perfectũ *v. Th. 19. seq.*

VI (5.) Verbum non-scriptum est nullũ *v. Th. 76. seq. Ergo non cum scriptô univocum, i. e. speciei homogeneæ. Ex dictis liquet, a. verum esse nostrum thema, aut falsum Spiritum S. Alterutrum eligant Adversarij.*

VII. *Quæ objiciunt pro stabiliendâ suâ sententiâ, vel* dicta *sunt scripturæ, vel* ratiunculæ: Has *in conflictu B. C. D. examinabimus.* Illa *maximam partem hic loci. Nam non obstat nobis* (1.) *Ioh. 16. 12. Nam Ex.* (α.) *Tota ista concio Christi, à lotione pedum habita, & à c. 13. Ioh. ad c. 18. contenta, consolatoria est, & quidem duplici ratione.* Primum *enim futuram discipulorum calamitatem prædicit: Quæ cum maxima, vide c. 15. 18. fin. c. 16. 1. seq.* ne turbaretur cor eorum *c. 14. 1. Spiritum S. Paracletum pollicetur, qui ipsos sit animaturus, c. 15. 26. c. 16. 13. quod clariùs facit Matth. 10. 19. 20. Luc. 12. 11. 12. Marc. 13. 11. E. scopus Christi est, quòd nolit jam suggerere ipsis* plenarium solatium, *cum non essent ei ferendo, & Spiritus S. illud præstare debeat. Atqui* (β.) *magis ad rem nobis,*

et Dicta ex SScra contra nos à Pontificijs allata examinantur

bis, quòd docuerat discipulos tempus passionis suæ instare, quam abitum ad Patrem vocat. Hoc ignorabant discipuli quid esset c. 13. 37. c. 14. 5. 8. 22. c. 16. 17. 18. Quare id? Fascinata eorum pectora opinione de regnô Monarchicô Christi, quod ut jam jam inciperet, ipsis inter fastigia erat votorum. Hinc, quæ proferebantur de morte Dominicâ, imò tam graphicè depicta, ut ne Apelles quidem, ab inferis revocatus, luculentiùs illa effigiare potuisset, non magis videbant, quam noctua solem Luc. 18. 31. 32. 33. 34. Hæc ergo non capientibus discipulis, promittit Salvator Spiritum S. Ioh. 14. 26. non nova quædam docturum; sed eadem suggesturum v. 26. Quæ illa verò? Arduum omnino, ante complementum, passionis mysterium: Atqui hæc postmodum sufficientissimè scripta: Ergo quodnam hìc adversarij latibulum inveniant, non video.

VIII. Nec (II.) Obst: Ioh. 20. 30. c. 21. 25. Nam R. Vtrobiq; est vocabulum ἐποίησεν, & priore insuper locô expressum σημεῖα E. necessariò de miraculis tantùm Evangelistæ sermo, quæ non omnia esse scripta concedimus. Quid hoc ad fidei articulos? (2.) Etiamsi dixisset Iohannes: Multa alia DIXIT JESUS: Nec tamen id contra nos. Præterea, quæ dixerat, non diversa ab his, quæ scripta: cùm tantum scriptum, quantum sufficit c. 20. 31.

IX. Nec (III.) Obst. Act. 20. 35. quod nullibi scriptum. Nam R. Neq; est articulus fidei, ad salutem præcisè necessarius (β.) Alia sunt ejusdem sensûs, licèt non totidem syllabis recensita. Matth. 5. 7. Luc. 6. 38.

X. Nec. (IV.) Obst. 1. Cor. 11. 34. Nam R. Hôc totô capite agitur de ritibus & ceremonijs, usq; ad v. 16. de oratione virorum & mulierum, quod hæ velatô, illi apertô capite precarentur. Deinde v. 16. incipit de altercationibus quibusdam, & ritibus circa Sacramentum cœnæ differere, de quibus aperti nil scribit, sed hæc ordinare se velle præsentem

tem *pollicetur.* (B.) *Quòd non de* verbô non-ſcriptô *agat, colligitur ex vocabulis: Non dicit:* παραδώσω; *Sed* διαταξομαι. Διατάσσω *verò non tradere ſignificat, ſed conſtituere, ordinare, decenter diſponere, ut cùm Imperator militares decurias eleganti ordine diſponit: Ita ritus ſibi ad invicem reſpondentes Apoſtolus volebat ordinare.*

XI. *Nec (V.) obſt: 1. Cor. 15. 3. Nam* R. *Immediatè ſequitur, quòd non novum aliquod dogma illis tradiderit,* ſcripturæ incognitum: *Sed in* ſcripturis comprehenſum: ſecundùm ſcripturas *inquit: Non:* ſecundùm Traditiones. (B.) *Et licet id non addidiſſet, dicit tamen, ſe de* morte & reſurrectione *tradidiſſe: Qui articuli ab Evangeliſtis non per Traditionem, ſed* ſcripturam *ad nos transmiſſi.*

XII. *Nec (VI.) 2. Theſ. 2. 15. Nam* R. *Hic locus princeps eſt, pro Traditionibus aſſerendis: At tantùm abeſt, ut pro Pontificiis faciat; ut etiam totus noſter ſit. Agit enim* (α.) de Traditione Evangelij *v. 5. 14. At hoc ſcriptum:* Imò *ſcriptum hâc Epiſtolâ ab Apoſtolô.* (B.) *Agit* contra Traditiones non-ſcriptas. *Ex Traditione Apoſtoli putabant ſe habere Theſſalonicenſes, inſtare jam jam diem Domini. Hunc ex* Traditione non-ſcriptâ *hauſtum refutaturus errorem, hâc Epiſtolâ aliud ipſis Tradit. v. 2. Nec juvat Adverſarios, quòd* exc: SIVE per epiſtolam, SIVE per ſermonem: disjungere. *Nam regero.* (1.) *Si adverſarij voculam* εἴ τε *arrodunt, negamus eam ſemper indicare diſtinctionem. Sed & copulationem 1. Cor. 15. 11. Similis ſignificatio, & ſimilis compoſitio eſt Rom. 14. 8.* ἐάν τε. (2.) *Si voculas* SERMONEM, EPISTOLAM, *urgent; Legant quæſo hôc c. v. 2. ubi tertia additur: Nempe* SPIRITUS: *Sicq; concedant, in gratiam Anabaptiſtarum, aliud etiam per privatos Spiritus i. e. per Enthuſiaſmos doceri. Nec ſecundò eos juvat quod* exc. Paulus dicit ſe tempus tradidiſſe adventus Antichriſti: quod tamen non-

Deliranᵗ Pontificij, ex unico Vocabulo Traditionum falsò colligunt Paulum in Eccleſijs quædam ipſos docuiſſe, quæ non ſint contraria Scripturæ. Traditionis g. nomine Lyra, Dionyſius Carthuſianus, Gloſſa, Marg. ad h. l. 2 Theſſ. 2. v. 15. Hæc ſentiendum ſi Apoſtolus aliquid viva voce, aliud ſcripſerit. Cum in Paulus in 1. Cap. ad Theſſ. 2 ſua ea complexus ſit, quæ ſcripſerat, et ſi alias aliis communicaverat. Traditionis g. nomine Lyra, Dionyſius Carthuſianus, Gloſſa, Marg. ad h. l. 2 Theſſ. 2. v. 15.

non-scriptum. *Nam* Rz. *Nullum tempus determinat, nec se determinasse scribit, nisi quod quædam vitia, & indicia exprimat: Ex quibus non temporis* adjunctum, *sed* subjectum *ipsum cognoscere licet, ut ex ungue leonem: Et si quid colligere debemus, Ve-jovem Romanum eum esse, de quo Paulus hìc, dicimus cum Dn. D. Brochm. P. 2. Syst. Theol. Art. de Eccl. c. 5. sect. 4. p. à 817. ad 841. & aliis. Adde: Si certi quid tradidit Apostolus de Anti-Christô, facite nobis, Dni. Pontificij, hanc gratiam, & ex Traditionum vestrarum cornu copiæ id depromite, nam utiq; sumus commiseratione digni, ob hanc nostram ignorantiam: At carent ipsi miseri! Id quod dissensio circa hanc rem indicat. v. Rev. Dn. Præsidis contradict: Pont: c. 29. n. 77. seq. p. à 132. ad 163.*

XIII. *Nec (VII.) obst. 1. Tim. 6. 20. Nam* Rz. *per depositum intelligit id, quod opponitur* prophanis vocum inanitatibus, & oppositionibus falsò nominatæ scientiæ *i. e. doctrinam Evangelij de Christo, quæ etiam scripta, & (quod idem cum hôc Pauli)* ad redargutionem utilis *2. ep. 3. 16. ut integer sit homo v. 17. (β.) Ipsi Pontificij hanc* παραχαθήκην *diversimodè interpretantur: vide Ben: Justin: Jesuit: Tom: 2. com: in h. l. p. 519. col: a. quamcumq; harum acceperis expositionem, nervus argumentationis inciditur.*

XIV. *Nec (VIII.) obstat 2. Tim.* 1. 13. *c. 2. 2. Nam* Rz. *Nihil ex verbis istis elicitur plùs, quàm Apostolum priùs prædicasse, quàm hoc scriberet, quod damus. Sed jam probandum ulterius, quòd illa* prædicatio *diversa ab his, quæ* scripta. *(β.) c. 2. v. 2. dicit Paulus, se Timotheo* per multos testes tradidisse; *It: Timotheum debere* quibusdam illa commendare, qui idonei sint ad docendum id alios. *At Traditio Pontificia est arcanum quid, quod neq; multis testibus traditur, nec populo proponitur. Ergo nihil hìc pro Pontificijs.*

XV. *Nec (IX.) 2. Tim. 3. 8.* Nomina Magorum nullibi scripta,

scripta, E. ex Traditione. *Nam* R. *Potuit Apostolus nomina ea habuisse ex Traditione illâ, quâ habebat*, jacturam animæ nullam fore in naufragiô *Act. 22. 22. Nempe ex revelatione Angeli: Aut ex illâ Traditione*, qua Petrus machinationes Ananiæ & Saphiræ rescivit. *c. 5. 3. 9. i. e. manifestatione Spiritus S.* (B.) *Potuit etiam nomina ista habuisse ex Traditione humanâ, nam hôc concessô, salva tamen manet thesis nostra: Quia non est articulus fidei.* (γ.) *Notabile est, quod Dn. D. Gerh. in Exeg. L. de Script. th. 407. notavit ex Euseb. præp. Evang. l. 9. c. 18. f. 241. quod locum citet ex Numeniô Apamæô, Philosophô Pythagoricô, ex Syriâ oriundô, l. 3. περὶ τ' ἀγαθ῀, hos Magos nominante: Vt igitur ex Aratô, Menandrô, Epimenide hemistichia adduxit in epistolis suis, ita & hoc potuit ex Numeniô.*

XVI. *Nec* (X.) *obst. 2. Ioh. 2. 12. ep. 3. v. 13. Nam* R. *plura verbotenus dicta, ac scripta, concedo: At necessaria tamen scripta:* (B.) *Cur non plura scribat, immediatè ad utrumq; locum addit: Quod scilicet* propediem se cum ipsis collocuturum confideret: *At id nobis non licet: Ergo scriptis Iohannis & aliorum simus contenti.*

Hæc præcipua scripturæ dicta sufficere hic possunt: si quæ adferent alia, cum ratiunculis ea exenterabimus, cum Deo, in ipso actu. Tantum de primo problemate.

II QVÆSTIO.

An ex mandatô scripserint Apostoli?

XVII. *Proœmii locô dico* (1.) *Christianorum fuisset equidem, parùm sollicitari hâc controversiâ, an necessaria scriptio verbi divini, an secus; Sed simplici pietate, piâq; simplicitate, ut ingens Dei donum, gratô scripturam animô venerari: Verùm provocati, non possumus etiam non leviter hoc thema delibare. Quantam enim ex hôc scripturarum vilipendiô malo-*

malorum ſegetem quærat, noſtro incommodo, is, cui nomina mille, mille nocendi artes, quaſi è ſpeculâ facile prævifu eſt: Sed, cum Deo, nil obtinebit. (2.) V. T. non niſi juſſu Dei Opt. Max. conſcriptum, extra controverſiam poſitum. Vt enim annotatum, expreſsè mandaſſe Deum Moyſi *Ex. 17. 14. c. 34. 27.* Jeſaiæ *c. 8. 1. c. 30. 8.* Jeremiæ *c. 30. 2. c. 36. 2.* Ezechieli *c. 24. 2. c. 34. 11.* Habacuco *c. 2. 2. Ita judicandum de reliquis Spiritus S. in V. T: amanuenſibus. (3.) At N. verò F. ubi perventum, clamitant adverſarij, externum quoddam accidens, externam occaſionem Apoſtolis & Evangeliſtis ſcripta hæc extorſiſſe, alioquin ne apicem quidem picturis, cum nuſpiam id eis injunctum legatur: Nos contrà* eos inſtructos fuiſſe ſcribendi mandatô affirmamus. *Rationes ſunt*

XVIII. *(1.) Dilectus Chriſti diſcipulus expreſſum mandatum iteratis vicibus undecies accepit repetitum Ap. 1. 11. c. 2. 1. 8. 12. 18. c. 3. 1. 7. 14. c. 14. 13. c. 19. 9. c. 21. 5. Iam, ſi de ſimilibus idem judicium, nec reliqui ſine mandatô ſcripſiſſe dicendi.*

XIX. *(2.) Matth. 28. 19.* Docere jubentur: *Vbi doctrinam, quæ ſit* ſcriptô *tenus: cum* Prædicatione *ſubinnuit Salvator: Nam &* ſcripto docetur *Rom. 15. 4. 1. Tim. 3. 15. Et certum eſt, nullô aliô fine ſcripſiſſe Apoſtolos, quàm ut Eccleſias docerent.*

XX. *(3.) 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 21. dicitur* γραφὴ θεόπνευστος. *Illa verò* inſpiratio *nihil aliud, quàm internum quoddam mandatum Spiritus S. fuit. Quando enim Deus aliquid* juſſiſſe *vel* dixiſſe *legitur, Matth. 1. 20. 24. c. 2. 12. 13 19. 22. Act. 13. 2. &c. Vix credam aliter id intelligi ipſis adverſariis, quàm per inſpirationem eſſe factum. Quid ergo vetat, quò minùs & hôc locô ita, cum contrarij cauſam nullam videã.*

XXI. *(4.)* Chriſtus juſſerat eos teſtari de ſuâ morte: *Luc. 24. 48. Joh. 15. ult. Act. 1. 8. Atqui hoc teſtimonium et-*

ſam ſcriptô Johannes perhibuit *c. 20. 24. E. ſcriptô mandatum Salvatoris eſt exſecutus.*

XXII. (5.) *Ioh. 1. Ep. 1. 3. 4. Duo recenſet Apoſtoli munia:* 1. Viſa & audita annunciare, 2. Eadem ſcribere. *Firmum ergo & hinc ſumitur argumentum, utram q. tam* prædicandi, *quàm* ſcribendi *provinciam dependere à mandatô divino.*

XXIII. (6.) *Iohannes ſuam Apocalypſin c. 22. 18. 19. tantâ ἐμφάσει terminat, ut vel lippus, elucere ex illis interminationibus quoddam mandatum, cernat. Quì enim Deus tam ſeverus eſſet, ſi propriô, quod dicitur, Marte, ad hanc ſcribendi operam Apoſtolus fuiſſet accinctus.*

XXIV. (7.) *Concedunt adverſarij,* eſſe ſcripturam quandam Dei epiſtolam. *Bellarm. Tom. 6. op. conc. 36. c. 415. B. C. Item Corn. Corn. à Lap. f. 2. proœm. in Pentat: Item Pet. Ioh. Perpin. Orat. 7. p. 267 ed. ao. 95. Superioris ſeculi Ingolſt. ex Chryſoſt. hom. 2. in Gen. At poterit Cancellarius abs q. juſſu Principis conſignare literas, eas q. Principis? Talium rationum ingens eſſet farrago, ſi eas vellemus apponere. Sed in his acquieſcimus.*

XXV. *Nec obſtant (1.) variæ Adverſariorum, ad allatas rationes, Exceptiunculæ (1.) ad locum D. Iohannis dicunt, eſſe* illum inconveniẽtem, cum ſaltem viſiones jubeatur ſcribere. *Sed R. (a.) Totum Evangelium eſt viſio,* quam ex revelatione habuerunt Apoſtoli *Ioh. 1. 18. Ergo ut ibi Iohannes in Apocalypſi nil, niſi quod viderat, ſcriptis comprehendit: Ita nec reliqui Apoſtoli quidquam* præter viſa & audita ſcripſere: *quod nomine omnium idem fatetur Iohannes 1. ep. 1. 1. 2. 3. 4. 5. (β.) Falſum eſt, quod* ſolas viſiones ſcribere jubeatur *ſenſu Pontificiô. Nam ſeptem Epiſcopis unâ cum viſionibus doctrinam Evangelij & præcepta morum tradere jubetur c. 2. *. c. 3. *. Apoc. (γ.)* Si arcanas ſaltem viſiones juſſus eſt ſcribere, *peccavit, quòd alia immiſcuerit: Ratio*

eſt:

est: quia Deus verbis suis alia realia non vult addi. *Si peccavit, vana sunt c. ult. v. 18. 19. minarũ fulmina. Si ea vana, vanus Spiritus S (mentem mi Deus, non verba respice:) qui ea inspiravit: Quæ omnia nõ absurda modò, sed & blasphema.* DICES: Esto: Habuerit mandatum Johannes: Tamen reliqui eô caruere: *Sed* R. *Quod nec Prophetæ omnes in V. T. legantur ex mandatô scripsisse. Nam nec Jeremias ad Thren-odias suas, nec reliqui, suprà th. 17. n. 2. citati, ad singulas pericopas expressum habuêre præceptum: Tamen, cum speciales jussiones acceperint quidam, omnes omnia secundùm illas sua scripsisse rectè judicantur.*

XXVI. (*II.*) *ad locum Matth. 28. 19. Excipiunt variè.* (*a.*) Si per τὸ docere etiam τὸ scribere intelligitur, sequetur, omnes Apostolos scripsisse: *Sed* R. *Singuli docuerunt, quod jussi: Quidam verò, locô omnium, &* reliquis approbantibus scripserunt *teste* Euseb. *l. 3. Hist. eccl. c. 24. p. 62. ed. Basil. aõ. 44. quod idem est, ac si omnes scripsissent: Agens enim & consentiens non dispares aliquô in factô:* DICES: (*1*) Cur non etiam quidam saltem prædicârunt, reliquis approbantibus? R. *Longè alia est* prædicati *atq;* scripti *verbi ratio, respectu communicationis per* τὴν ἀλλοιωσιν. Prædicârunt *omnes idem verbum: Idemq;* scripserunt: *At cum suam quisq; habuerit provinciam, quisq; suarum etiam rerum sategit, & quòd homines, singulorum voces in singulis locis personare saltem potuerunt, nec alter alterius vices subire. At vox* scripta *ab unicô, vel in mille diversissimis locis pari efficaciâ potuit usurpari: Ergo manifestum est, parùm referre, quinam, vel quotnam scripserint; Cum unum sit, maneatq; Evangelium:* DICES (*2.*) Non-scribentes tamen immorigeri facti Domino, si scriptio, ut prædicatio, ad omnes ex æquo pertinuit: *Sed* R. (*a.*) *ad* Propositionem, *quam absurdam esse dico. Si enim immorigeri non-scribentes*

facti, errarunt. Si hoc, non ducti sunt à S. Spiritu in omnẽ veritatem. *Si hoc; In fumum abiit Christi promissio Ioh. 16. 13.* (β.) *ad* rationem *eadem, quæ supra jam adducta.* DICES (3.) *At* quomodo potuerunt scire, quibusnam esset scribendum? R. *denuò: Idem fuit, sive omnes, sive hic, sive ille. In specie autem Matthæum, Marcum &c. ex peculiari Dei instinctu, & familiari Spiritus S. dictamine, quod sibi scribendum, habuisse, piè credimus & verè. 2. Pet. 1. 19. & 20.*

XXVII. Exc. (β.) *ad istum locum:* Si æquè scribere ac prædicare jussi, æquè utrumq; præstitere: Sed hoc non factum: Ratio: Prædicârunt suâ sponte, scripserunt non nisi ex oblatæ cujusdam occasionis necessitate. *Sed* R. (1.) *ad* Maj. *quæ vera: Æquè utrumq; præstiterunt* realiter, *quidam* effectivè, *quidam* permissivè, *quod dictum.* (2.) *ad* Min. *& ejus* prob. (..) *Quod suâ sponte humanoq; solùm instinctu prædicârunt, singulare est, & cum rubricâ notandum mendacium. Quod enim ex mandatô, non propriâ sponte factum.* (ε.) *Si per tò suâ sponte locomotivam intelligunt, etiam à ductu Spiritûs illam profectam statuimus: Et sicuti generale habuerunt mandatum docendi, quamvis absq; determinatione loci: Ita nil refert, quod non omnia Romæ, non omnia in Græciâ, non omnia in Iudæâ vel Galilæâ scripta, sed hoc etiam sponte factum dicendum erit, hoc quidem sensu:* (γ.) *Obliti sunt adversarij eorum, quæ antea oppugnârunt: Nempe non necessitate adductos scripsisse Apostolos, quod jam propugnant: Cum tamen* mendacem oporteat esse memorem, *quod est in vulgi-verbiô.* Hactenus ad prius probationis membrum. Jam (δ.) ad posterius. *Oblatæ occasiones tantum abest ut destruant internum mandatum, ut potius id stabiliant. Nam (1.) etiam in prædicatione cum quâdam occasione docuêre: v. c. Custodi vel Præfecto carceris ex occasione vinculorum. Act. 16. Athenienſibus ex occasione absentiæ*

Silæ

Silæ & Timothei, *quorum adventum præstolabatur Paulus Act. 17. 15. Melitensibus ex occasione naufragij Act. 28. à 7. ad 11. fuit prædicatum: Quod tamen mandatum externum ibi non facit irritum: Multò minùs hìc internum. (2.) Prophetæ non sine occasione scripserunt: Tamen expressum habuerunt mandatum: Imò dicere audeam, occasionem illam causam fuisse mandati.*

XXVIII. *Exc. (γ.) ad istum locum:* Si instructi mandatô accessissent ad scribendum, aut catecheticum libellum singuli singulis provinciis, quarum curam susceperant, concinnassent, aut junctâ operâ monumentum aliquod, quô singula fidei capita explicarentur, congessissent, antequam in universum orbem, quod jubebantur Mar. 16. 15. dispersi. Atqui id non factum: *Nam aut historiam contexuere, ut quatuor Evangelistæ: Aut epistolam exaravere, ut Paulus, Petrus, jacobus, Iudas: aut utrumq;, ut Johannes: Sed in his obiter saltem ac superficialiter tractantur articuli fidei.* Sed R. (α.) *ad* Maj. *cum Mattheô* Ita justificatur sapientia à filiis suis! *c. 11. 19. Nam Theologia non est tolerans magisterij rationis: Ergo cum irrefragabiliter verum, Scripturam sacram quandam esse* θεοπνευστον, *hìc jam fatessat omnis ratiocinatio, nec ab omni-sapiente Deô hoc vel aliud requirat: Religio est Pontificiis, statutis Papæ refragari: At* ὑπερκριτικοὶ *ipsam* SAPIENTIAM docere *non erubescunt,* Sus Minervam *dicere ex alterâ parte liceret, sed vereor, ne dium nomen ex alterâ profanem. (β.) Ad* Min. *Comportarunt Symb Ap. (ita enim vulgò creditur) quod est Catecheseos instar, antequam exirent, fatentibus ipsis Pontificiis: Tannerô, Tom. 3. Theol: Schol. disp. 1. q. 1. dub. 8. n. 224. Bayô t. 1. inst. c. 27. p. 33. Lindanô l. 1. Panopl. p. 30. (ex fideli citatione Dni Præsidis c. 3. n. 19. p. 240. contrad. Pont.) (γ.) Iussi sunt testari de Christô, quod jam antea dictum: Nequi-*

visſent autem perhibere illud teſtimonium, ſi ſtrictiſsimè ſolos fidei articulos literis mandasſent, poſthabitis fundamentis eorundē rebus geſtis Chriſti. (δ.) Quod obiter ſaltem & quaſi tumultuariè tractent dogmata fidei, ſi de methodô intelligunt adverſarij, facilè merebuntur Apoſtoli gratiam ab iis, cum ſcholaſtica illa jam tum ſub terrâ fuerit, quam nudius tertius in apricum protulit ætas: Quamvis nec deſint, qui acutiſsimam methodum in Paulinis præſertim oſtenderint, vide D. Milij, Pflacheri & aliorum analyſes in hanc Epiſt. & reliquas. Si de materiâ: Errant: Conſulatur Clariſsimus Dn. D. D. Cramerus in Iſag. ad lib. Proph. & Ap. à f. R. 5. a. adf. Z. b. Stet: aõ 1605. ed. ubi egregiè de omnibus epiſtolis id oſtendit: Idq; cum ipſô alij.

XXIX. Nec (II.) obſtant arg: contr: (α.) Ex Ier: 31, 33. Nam Ex. Ἀπροσδυνόστως adducitur dictum illud. Agit enim de diſcrimine V.T., ſcriptam in tabulis lapideis doctrinam exhibentis, & N. continentis doctrinam gratiæ, quæ confert charismata Spiritus S. vide Chriſtoph: Caſtrum l. 3. Comment: in Ier: ſuper c. 31. p. 275. col: 2. C. Quid hoc ad Evangelium N. T. non ſcribendum? (β.) Metaphoricè loquitur Propheta, perq; hanc ſcriptionem N. T. claritatem, quam Veteris longè docet majorem futuram 2. Cor: 3. * Heb: 10, 1. ſubintelligit. (γ.) Lex in chartis & in corde ſcripta una eſt: Non enim formale externum, i. e. apices. & atramentum veneramur; Sed materiale, hoc cuſtodire, ſcrutari &c. jubemur. (δ.) Implicat hæc Pontificiorum aſſertio: Concilient nobis quæſo hoc: Deus noluit ſcribi tempore N. T. cum eô: DEus voluit ſcribi: Illud Adverſariorum, ex falſâ interpretatione hujus dicti collectum: Hoc orthodoxorum, ex propriis verbis elicitum. 2. Tim: 3, 16. 2. Pet: 1, 21. (ε.) Si literam urget Adverſarius, urgebo ex c. 8, 8. adfin: ep: Heb: Si Spiritus S. præcavere voluit hôc dictô, ut ſcriberetur Evangelium N. T. Cur ſuggeſſit eadem verba ſcribenti Apoſtolo? Nam d. l. totidem ſyllabis verba

Pro-

Prophetæ citantur. (ε.) *Si pergit instare rigidus adversarius, & ego pergam v. 34. hujus 31. cap: Ier:* Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum &c. *E. Tempore N.T. nemo aliquem docebit. E. Christus perperam suos jussit:* Ite, docentes OMNES *Matth: 28, 19. Marc: 16, 16. E. & supervacanei tot Monachi & Prædicatores.*

XXX. *Nec* (β.) *Locus Pauli: 2.Cor:3.3. Nam Iterum extra oleas vagantur interpretationis fallaciâ. Sensus dicti est: Pseudo-Apostoli se vobis insinuare student literis commendatitiis v. 1. Ego (Paulus) haut indigeo illis: Vos Corinthij enim mihi estis instar vivæ epistolæ, quæ me commendat vobis. Nam ipse effectus, conversio vestra, testis est, quàm fideliter in vobis, ad fidem informandis, sudaverim: Et hanc epistolam non vos, sed ego, non atramento, non calamô, non in chartis, sed in cordibus vestris efficacissimâ Spiritus S. operatione scripsi. Quid iterum hoc ad scriptionem? Ambr: in hunc locum ait;* fides intelligitur, quæ non per calamum in tabulis, sed per Spiritum in corde scribitur, quia fides æterna res est, ergo à Spiritu scribitur, ut maneat: *Tom. 3. p. 297. edit: Basil. anno 1597. Nullibi contra externam scriptionem. Adde nostræ sententiæ amicos, Anselmum in hunc locum p. 211. B: ed. Col. anno 1533. Corn. Corn. à Lap. in hunc locum v. 2. p. 347. ed. Antuerp. anno 1627.* (2.) *Si prohibet Apostolus scriptionem; Cur hæc scribit? Cur antea priorem ad Cor. cum hac in posteri? cur utramq; antea ad Thes. scripserat? Has enim anno P. duode-vigesimô, mense Ian: Illas anno P. vigesimô tertiô confecit. Dn. Gab. Rechaan in cl. temp. N. T. p. 216. & p. 220.*

Ineptissimi sunt Ro.

III. QVÆSTIO.

An scriptura regula credendi?

XXXI. *Præsuppono* (α.) *Pontificij asserunt,* VERBUM DEI *esse fidei normam, & credendi regulam: Sed ingens sub hujus*

hujus theseos palliô fucus latet. Rejicere simpliciter eam nequimus. At si concedimus, duplex Dei verbum statuent: Scriptum & non-scriptum *simul sumta.* (?.) *Nos distinctionem illâm quæst. 1. ventilavimus: Ergo cum nullum nisi* scriptum Dei verbum agnoscamus, *illud* unicam & solam esse credendi regulam docemus. *Rationes.*

XXXII. *(I.) Ad id scriptum DEI verbum Ioh: 20. ult: (II.) Laudat eos Spiritus S., qui pro solâ normâ scripturam habuerunt. Act: 17. 11. (III.) Christus non modò opera aliquoties juxta eam institui voluit, ut Luc. 10. 28. Sed etiam fidem c. 16. 27. 28. 29. (IV.) Nullô aliô fine ad scripturam amandantur Christiani. Ioh: 5. 39. (V.) Ipsi Pontificij Canonicam scripturam appellitant: Quæro ergo, unde sortita sit nomen illud? Vel quæ inter Canonem & regulam differentia? Præsupponimus verò, Canonem hunc totum & perfectum, non partialem esse: (VI.) aliàs rationes suppeditat ex Definitione Canonis: quàm Varinus habet col. 586. n. 50. Lexici (& adducta parte ant: th: 29.) Rev: Dn. Præses in Anti-Val p. 1. c. 1. assert: 2. p. 5. ad 11.*

XXXIII. *Nec obstat (1)* Regula debet esse unum & continuum quid: Atq; scriptura non est talis. *Ratio: Quia diversa continet opera: Nam* R. ( ) *ad* Majorem *eam concedendo.* (?.) Admin: *& ejus* probationē: *(1.) concedo, varios in scripturâ tractatus contineri, v. c. Historias: Conciones: Vaticinia: Carmina: Epistolas: At non diversos.* (?.) *Si verò ex hoc infertur: Hæc esse diversa adeò, ut nullo modo conjungi possint: Tum* R: *Dist: esse vocabulum DIVERSA, quod ambiguum est:* Aliqua *enim dicuntur diversa,* ratione materiæ & essentiæ: *v. c: Homo â lapide, ignis ab aquâ, calamus â chartâ diversa dicuntur: Sic Apologi Æsopici à Legendis Patrum: Quædam verò* diversa *dicuntur* ratione externor. saltem accidentium: *Sic David & Goliathus: Helena & Thersites, Bibliain fontibus & translata maximè secundùm quid*

sunt

ſſunt diverſa, licèt per ſe *idem, unumque. Iam* priore modò *non diverſi libri Biblici: Neq; tam abſurdi ipſi adverſarij, ut hoc affirment: Quod enim non arenarum inſtar, ex quibus funiculus necti nequeat, ipſi ſuâ canoniſatione (ut cum ipſis loquar) oſtendunt. Si* poſteriore *modò differunt, nihil contra nos, quia* Accidentia rem non mutant, cum ejus eſſentiam non intrent. (γ.) *Hoc declaro ſimili. Faber lignarius, vel alius quispiam opifex, ex rubrô, nigrô, flavô, viridi filis unicam amuſſim conficere pro beneplacitô poteſt. Color enim non obſtat, quò minùs poſſint reſtiariâ arte conjungi: Ita placuit Deo Opt. Max. ex Tractatibus his,* quoad ſcriptionis genus diverſis *unicum Canonem conſtituere: Vt, cum Ioſuæ librum ſuum Moſaicis,* diverſum *licèt ab iis quoad* extra, *attamen verba Domini* non minùs *comprehendentem, addidit Ios. 24. 26.*

XXXIV. *Nec (II.) obſtat:* Unica & ſola norma continet omnia & ſola ad fidem neceſſaria, ut Symb. Apoſt. Atqui de Scriptura id negatur: *Ratio: Quia multas utrumq; T. hiſtorias, ad fidem minimè neceſſarias continet. E. &c. Nam* Rr. (I.) *ad* Maj. dupliciter, *quia bimembris.* (α.) *quòd omnia debeat continere ad ſalutem neceſſaria, non negamus:* (β.) *quod ſola: Ibi diſt: inter* normam & ſymbolum, *Quippe res diverſiſſimas:* Norma *per ſe eſt unica, nempe Scriptura: Nam competunt ei requiſita normæ & regulæ v. R. D. Præſidis Anti-Val. P. I. c. 1, aſſert. 2. p. 5: ad 11. At Symbolo iſta attribui nequeunt: Nam, ut alia taceam, illud abſolutâ certitudine non eſt certum, ratione originis: Siquidem non conveniat inter Pontificios ipſos, quis verus ejus autor. Erasmus enim & Valla negant eſſe conſcriptum ab Apoſtolis, teſte Greg. de Valent: T. 3. diſp. 1. q. 1. punct. 5. B. Interea* regulatum *dici poteſt, quia quæ habet, ad* normam, *ſcripturam ſcilicet, quadrant. Et ſic illud* SOLA *admittimus: Verùm licèt* ſola, *non tamen*

omnia *habet ad salutem necessaria: Neq; potest: Quia ideo contractum dicitur: Ergo necessariò aliâ indigemus normâ, estq; Scriptura, quæ amplius divagatur, & quæ ibi concisè proposita, & quasi indice digito monstrata, manifestiora reddit, quod deinde patebit:* (II.) *ad* Min. (α.) *Qui negat* omnia *contineri necessaria in Scripturis; Adeat th. 91. seq.* (β.) *Qui* sola: *Illi facilè adstipulabimur. Multa enim non præcisè necessaria,* necessitate absolutâ, *i.e. ad* salutem: *Attamen ad* ædificationem: *Ergo cum necessariis non contrarientur, cur non, quasi uberior necessariorum explicatio, admitterentur?* (III.) *ad* Prob. Min: *Multas historias non* necessarias ad salutem *largimur, quamvis* ad ædificationem, *quod dictum:* Unius enim rei multiplex potest esse finis: *Ita & hìc: Nec tollit* minùs principalis principalem: *At si ita formatur probatio:* Nulla historia necessaria ad salutem: *Tum simpliciter eam negamus. Nam* statum perfectionis *hominis, &* destitutionis *ex solâ historiâ Geneseos habemus:* Statum restitutionis, *quamvis ex promissionum umbris, tamen realiter ex solâ Evangelistarum historiâ: &c.*

XXXV. *Nec* (III.) *obstat* Si Ecclesia, si Papa, si Concilium generale, si Patres sunt regula credendi, non erit scriptura: *Atqui verum prius: E. Nam* Bz. *De his omnibus membris infrà commodior erit agendi locus, Quæst. seq.*

De sensu Scripturæ.

XXXVI. *Circa dubium de sensu Scripturæ, duo sunt præcipuè, quæ observationem merentur, & de quibus inter nos controvertitur, & Adversarios, qui duûm rursus generum: Hôc igitur ordine hìc nobis procedendum, ut* duo ista membra *altiori indagine, melioris certitudinis ergo, venemur:*

I. Membrum.

IV. QVÆSTIO.

Unde petendus Scripturæ sensus?

XXXVII. *Hìc iterum duo occurrunt*: (*1.*) Noſtra, (*2.*) adverſariorum *ſententia. Ad NOSTRAM quod ſpectat, tria præmitto.* (*α.*) *Senſum ſcripturæ ex ſcripturâ impetramus, non noſtrâ ipſorum* induſtriâ: *1. Cor. 2. 14. 2. Pet. 1. 19. Sed* illuminatione *SS. Spiritûs: Ideoq; nos mediatè à Spiritu S. ſenſum habere dicere liceret:* (*β.*) *Quando ſenſum ſcripturæ ab omnibus illuminatis poſſe inquiri docemus, non quemlibet ac quamlibet, ut calumniantur Papicolæ, jure interpretandi ſcripturam dotatos volumus: Aliud enim eſt* intelligere, *aliud* interpretari. *Neq;* (*γ.*) *confundimus tractationem ſenſûs* accuratam *&* popularem: Illa *plura requirit media: Scientiam linguarum, puriorìs Philoſophiæ, hiſtoriarum Eccleſiæ, commentariorum Bb. Patrum, aliorumq; dictorũ biblicorum proprias ſedes, i. e. capita & verſiculos, collationem parallelorum, conciliationes contradictionum apparentium &c. Eſtq; Doctorum propria, unde etiam* Academica *vocatur.* Hæc *verò tanti inſtrumentorum apparatûs haud indiga, ex textu vernaculô, quantum ad ſalutem ſufficit, intelligere poteſt. His jam poſitis conditionibus, conſtanter defendimus,* ſenſum ſcripturæ immediatè non aliunde petendum, quam ex ſcripturæ ſacræ verbis. *Rationes ſunt.*

XXXVII. (*1.*) Qui ex Deo eſt, verbaq; Dei audit, *Ioh. 8. 47. c. 14. 23. E. ſenſum quoq; ex iſtis verbis habet: Deum enim per Miniſtrum docentem, Luc. 10. 16. Heb. 1. 1. ſive quod idem eſt, per ſcripturam loquentem, audimus. Atqui ludificaretur nobis, ſi loqueretur, ut ſenſum non perciperemus, quod abſonum.*

XXXVIII. (*II.*) Scriptura nos intelligentes facit, *Pſal. 19. 8. Pſ. 119. 169. Rom. 15. 21. Eph. 5. 17. Col. 1. 8.*

XXXIX. (*III.*) Qui ſpiritum Dei habent, Dei ſenſum habent: *1. Cor. 2. 14. 16. Ideo enim* Spiritus ſapientiæ & intellectus, & Spiritus ſcientiæ dicitur *Ies. 11. 2.* Hunc *verò* omnes pii habent *Ioël. 2, 28. 29.*

XL. (*IV.*) *Fideles* judicare dicuntur *1. Cor. 10. 1. Atqui* perperam *judicatur, ubi sensus causæ non intelligitur.*

XLI. (*V.*) *Berrhoenses lectis saltem scripturis (absq; magnâ Pharisæorum Ecclesiâ, absq; Pontifice maximô, absq; synodô) sensum prædicationis Paulinæ, sensui scripturæ consonum, offendebant Act. 17. 11.*

XLII. (*VI.*) *Ideo clara dicitur, quod sensus ejus in tenebrarum involucris non delitescat. Th. 88. seq.*

XLIII. (*VII.*) *Ideo certa est, & constans, ne dubitationum Mæandris hinc inde agitemur, quisnam sensus arripi ex tantâ copiâ debeat Th. 108. seq.*

XLIV. (*VIII.*) *Deus conqueritur, quod* nolint homines intelligere, *Ies. 6. 9. 10. Et repetuntur eadem verba Act. 28. 26. 27. Ergo præsupponitur, quod possint, suô tamen modô.*

XLV. (*IX.*) *Lectis, vel auditis litteris Regiis, aliisve, nos sensum Regis, vel quisquis ille sit, ex iisdem tenere arbitramur: Quid ergo obstat, quin ad lectionem vel auditum scripturæ dicamus cum Paulô:* Nos sensum Christi habemus *1. Cor. 2. 16. & cum Ioh. 1. ep. 5. 20.* Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum.

XLV. *Generalia, quæ objiciunt adversarij ad hanc sententiam profligandam, levioris sunt armaturæ, de quibus ξυν θεῷ in conflictu. Reliqua, quæ momentum aliquod habent, immediatè jam subsequuntur.*

XLVI. *Ad ADVERSARIORVM sententiam devolvimur. Horum vicissim duæ classes. Prior* Pontificiorum: *Altera* Anabaptistarũ. (*I.*) *Illi iterum in sententiarum divortia abeunt: (1.) Quidam docent generaliter, sensum scripturæ esse in Ecclesiâ Catholicâ (Romanam intellige.) Huntl. T. 1. cont. 1. c. 4. n. 2. p. 6. & n. 3. p. 7. & c. 21. n. 6. p. 85. (2.) Quidam Papam, tanquam caput, habere jus interpretandi: Ergo & sensum scripturæ: Ergo ab illô etiam petendum (3.) Quidam ex conci-*

conciliô generali, repræsentante ecclesiam (4.) Quidam à Papâ cum conciliô sensum scripturæ acceptandum judicant (5.) Quidam ex Patribus, ex quibus constant concilia, & unanimi eorum consensu Hunt. Tom. 1. cont. 1. c. 4. n. 2. p. 6. (6.) Quidam denique ex Traditionibus. Ita idem I. Gord. Huntl. Tom. 1. cont. 1. c. 28. n. 4. p. 106. 107. Becan. l. 1. c. 2. §. 21. p. 95. comp. man. Idq; probat dicto Ioh. 3. 5. Cujus sensum nos non habere ait, nisi ex Traditione §. 12. p. 83. ed. Luxemb. anno 1625. Quanta turma! Sed quidquid elegeris, res eodem redit: Nempe, sensum scripturæ emendicandum ex Ecclesiâ Pontificiâ: Tamen, ut eò clariùs vis veritatis effulgeat, singillatim omnia considerabimus.

ASSERTIO I.

Sensus Scripturæ non opus, neq; ἁπλῶς necessum, ut petatur ab Ecclesiâ.

XLVII. *Ad eò meliùs statum controversiæ formandum, præmonendum est. (1.) Esse sensum genuinum scripturæ in Ecclesiâ, largimur: Nam fideles, Duce Spiritu S. adepti illum, sunt in Ecclesiâ: Ergo & ipse sensus erit in Ecclesiâ, universaliter consideratâ. (2.) Nec negamus, posse peti sensum scripturæ ex istâ Ecclesiâ: At cum distinctione: Non* principaliter: *Ita enim ex scripturâ: Sed* testificatoriè. *(3.) Probè verò observandum, hic voce [Ecclesiæ non ad* generalem *illam, sed* Romanam *suam, quam κατ' ἐξοχὴν (Apostolicam, Catholicam aliàs) Ecclesiam nuncupant, digitum intendere adversarios, adeoq; circa eam speciatim nos occupari. His præmonstratis, assertionis nostræ rationes damus.*

XLVIII. (1.) *Quia quilibet fidelis sensum Scripturæ potest indagare v. Th. 37. ad 48.*

XLIX. (2.) *Scriptura ad Ecclesiam nunquam nos remittit mandatô.*

L. (3.) *Nullum idoneum exemplum ex scripturis monstrari potest. tam ex V. quam N. T.*

LI. (4.) *Particularis est, at non vera Ecclesia, Brochm. Tom. 2. Syst. Theol. de Eccl. c. 2. q. 9. p. 740. seq.*

LII. (5.) *Est erronea. Omnis enim particularis Ecclesia est errori obnoxia.*

LIII. (6.) *Etiam enormiter erravit actu. Vtramq; rationem postremam, & exemplis, & testimoniis, non solùm scripturæ, & Adversariorum: Sed etiam ex historiâ Ecclesiasticâ & experientiâ datprobatam Cl. Dn. Præses in Anti-Val. P. 1. c. 4. n. 10. ad 21. p. 65. ad 74.*

LIV. *Nec obst: (α.) Matth. 18. 17. Nam R. Nos de cepis quærimus, adversarij de alliis respondent. Dictum enim agit de privatis injuriis v. 15. à quibus ad sensum scripturæ argumentari, incredibile, quàm ineptum.*

LV. *(β.) Nec obst. 1. Tim. 3. 15. Nam R: (1.) ad* Maj. *per limit: Quicquid est* columna & stabilimentum veritatis, *ab eô petendus verus sensus Scripturæ, eô modô: quô est* columna & stabilimentum, *non aliô. Iam (2.) ad* Min. (α.) Ecclesia est columna & stabilimentum tantùm, *non autem solidum* fundamentum; *Sed suô fundamentô indiget, seu basi, super quâ fundetur. (β.) Vt autem res fiat plana, explicandum quid hìc loci sit* columna: *Quod commodiùs facere nec possum, nec audebo, quàm si adm. Rev. & egregiè, vel invidiâ teste, de Ecclesiâ meriti Theologi, Dn. D. Crameri expositionem ex not: bibl. super h. l. apponam: Ille ita:* Gleich wie Säulen auffgerichtet werden zur Gedächtnuß/ daran geschrieben werden die Dinge/ welche auff die posterität sollen gebracht werden: Wie denn Seth solcher Säulen zwo sol auffgerichtet haben: Wie Josephus meldet: Also ist die Christliche Kirche ein Pfeyler/oder Säule/ der Warheit: Ja ein jeder in der Christenheit ist ein solcher Pfeyler/ auff welchen geschrieben ist der Name Gottes Apoc. 3. 12. Vñ der gestalt ist die Kirche ein grundfeste der Warheit/ weil sie ein

sie ein Gezeugnüß giebt von der Warheit: Sonsten ist die Warheit (welche ist Christus) der Eckstein / darauff die Christliche Kirche gebawet ist: *Hactenus Ille. Vt ergo columna sustinet quidem: Sed* secundariò: Principaliter *verò ipsum* fundamentum; *Ita hic, cum Ecclesia dicatur* columna, *sustinet veritatem, & consequenter verum dat sensum Scripturæ: At* minùs principaliter: *i. e.* testificatoriè *saltē*, & conservativè *vel* ministerialiter: *Quô sensu illud lippis, quod ajunt, & tonsoribus notum Aug. usurpatur:* Evangelio non crederem, &c. *vide applaudentes Pontificios ipsos apud Cl. Dn. Præsidem de autor: Scripturæ, disq. 2. §. 451. seq. Ita sensum etiam habemus ab Ecclesiâ:*

LVI. DICES: At per columnam ima sæpe fundamenta denotantur, *ut Iob. 9. 6. Ps. 75. 4: Ergo & hic: Quod etiam evincit additum exegeticum vocabulum* stabilimentum: ἑδραίωμα, *ab* ἕδρα. *sedes, basis &c. Sed* R. (α.) *â Particulari at universale affirmativè N. V. C.* (β.) *Si ita, ergo & mihi inferre licebit: Apostoli,* Petrus, Jacobus, Johannes columnæ dicuntur. *Gal: 2. 9. Eph: 2. 20. E. originaliter? Ergo Spiritus S. sibi contradicit?* Cum aliud fundamentum, præter Christum, lapidem angularem *Ies: 28. 16. Ps. 118. 22. Matth. 21. 42. Act: 4. 11. poni debere vetat Act: 4. 12. 1. Cor: 3. 11. quod absurdissimū.* (γ.) *Idem ad prob: ex voculâ* ἑδραίωμα *esto responsum. Ergo* (δ.) *concludo: Licèt* imum fundamentum *d. l. Iobi & Psaltæ intelligatur: Cum contrariū non inveniamus in scripturis. Tamen hic intelligi istô modô nequit, cum detur contrarium: Ergo* columna *est, & ut* columna, sustinet veritatem, *quô sensu lubentes illum ex ecclesiâ* (*sed* verâ) *accipimus, ut dictum Th: 47. n. 2.*

LVII. *Nec obstat* (γ.) *Ies: 54. 4. 10. seqq.* (*Bec: l. 1, c. 3. concl: 4. §. 30. p. 143.*) *Matth: 16. 18.* (*d. l. §. 31. p. 154.*) *Matth. 28. 19. 20. cui consentiunt Ioh: 14. 18. 30. c. 16. 33.* (*d. l §. 32. p. 146.*

&c.

&c. &c. Nam R. Tota res expeditur dist: inter Ecclesiam Universalem & particularem: *De* illâ consentimus simpliciter: *De* hâc secundùm quid: *Nempe, si regulatur normâ fidei, verbô* DEI (2.) *Si cancellus syllogisticis includuntur rationes, simpliciter N.* Min: *Illam enim ad suam Pontificiam detorquent Pontificij scripturarum Tortores, & sic turpiter principium petunt. Reliqua, quæ objectare solent, ex sequentibus fient manifesta.*

Assertio II.

Sensus scripturæ ut â Papâ, quasi mendicatim, petatur, frustraneum est.

LIIX. *Duo præsuppono* (1.) *Si contingeret ut* Pius *aliquis (non nomine, quales quinq; fuisse constat, sed vel re solùm, vel nomine & re simul) occuparet sedem Apostolicam (si est,) qui in lectione scripturarum assiduus accubuus esset,* Ps: 1. 2. *Nulli dubitamus, quin assecuturus verum sensum sit, adeoq; non-illuminatum, vel paganum, abs tali posse petere: Non, quia Papa, sed quia Christianus est.* (2.) *Illis mediis, quibus talis assequitur verum scripturæ sensum, posse alium etiam quemvis fidelem: Universalis enim est pijs data promissio Ioel: 2. 28. maximè Ies: 44. 3. quæ actu etiam completa Rom: 8. 15. 16. 1. Cor: 2. 14. Eph: 4. 8. 2. Ioh. 2. 20. His notatis, assertionem nostram sic roboramus.*

LIX. (1.) *Quia cuilibet fideli sensum illum adipiscendi patet via. Th. 37. ad 45.*

LX. (2.) *Quia Scriptura nos nunquam ad Petrum, neq; ad ejus Successorem (ex hypothesi loquor) mandatô ablegat, sed contrà omnes scrutari jubet.*

LXI. (3.) *Nullibi locorum* (a.) *V. T. ad Pontificem hæc res delata, sed ex verbis Dei & mens, & sensus Dei cognitus. v. c. Ios. 24. 1. 2. sensus sequitur v. 16, 21, 22. 24. Sic Iud. 2. 4. 5. Item 1. Reg. 18. 21. 22. Intellectus v. 24. 39. Et c. 19. 18.* septem millia

millia, si sensum Pontificis audiissent, genua coram Baal curvassent. Ita 2. Reg. 22. 10. 11. Nehem (vel 2. Esd.) 8. 8. 12. Ier. 26. 12. cognitio 16. 17. seqq. (β.) Neq; in N. T. habemus simile exemplum, sed contraria, nostramq; sententiam approbantia. Luc. 2. 10. sensus. 15. 17. Act. 13. 16. intellectus v. 48. &c. &c.

LXII. (4.) Quia fallibilis, & graviter non semel erravit, quod probat ex Bellarm: & Staplet: & Alph: Dn. D. Meisn. P. 2. Anti-Less: consid. 8. art: 2. sect. 2. p. 303. ed. Witeb. Anno 23. aliisq; infinitis R. D. Praeses in contrad: Pont: c. 29. n. 23 seqq. ad. 45. Alios nostratium vel sexcentos praeteribo.

LXIII. (5.) Aliter privatim, aliter publicè de sensu scripturae judicat. Et hôc cothurnô, quoties proditur in disputationis proscenium, induti semper incedunt Papistae. Et sicubi, radiis veritatis illustratus, aliquid pro nobis statuerit: semper, hic non ex sede, sed privatus judicavit, vociferantur:

LXIV. (6.) Papae sunt dubii, sibiq; ipsis contradicunt. Dn. D. Meisn. d. l. p. 399. §. praeterea. Dn: Praeses ibid. c. 27. n. 29. ex quô unicum apponam, p. 30. §. 5. ubi ita: De bellô Paparum Sixti V. & Clementis VIII. circa Biblia edidit Londini Thomas Iames Anglus librum peculiarem 1606. quô ostendit, quantis inter se parasangis duo Pontifices (uterq; infallibilis, ut placet Romanensibus) distent, circa Bibliorũ versionem vulgatã.

LXV. Nec obstant, quae de vicariatu Christi, de successione Petri, adeoq; de Primatu & infallibilitate objiciunt pro Papâ Papistae: Nam R. Nos simpliciter contradicimus momentis istis omnibus, & fallaciâ interpretationis ludere Pontificios asserimus: Principem locum ex Matth. 16. 17. 18. 19. ut missa faciam alia dicta, & ratiuncularum plaustra, quae magnô numerô advehunt, satis nervosè, solidè, & prolixè refutavit Dn. D. Meisn. P. 2. Ph. sob. sect. 1. c. 4. q. 4. à. p. 429. ad 443. ex scripturâ, & rationibus. Dn. D. Theod. instit. cat:

L. de Eccl. q. 6. in schol. brevissimè ex D. Aug. scriptis. p. 478. Dn. Præses in contrad. c. 29. n. 2. ad 23. p. 59 ad 76. ex Pontificiorum suffragiis. Confer Dn. . G. Reehaan *in Cl. Temp. N. T: c. 35. ad 40. à p. 254 ad 324. Quò remittere avidum hujus rei lectorem volumus, partim, quoniam chartæ angustia omnia, quæ de hâc possent materiâ dici, non capit: partim, quoniam propediem eadem materies ex professô publicè ex hôc locô ventilabitur. Deo secundante.*

Assertio III.

Ex conciliorum decretis sensum Scripturæ depromere supervacaneum.

LXVI. *Iterum præfigimus: (1.) Nos concilia* universalia *non repudiare omninò; Sed* non-universalia, Papistica, conciliabula *illegitima: Cujus vitij ea damnat Dn. D. Meisn. in Anti-Les: P. 2. consid. 8. art. 2. sect. 2. p. 312. ad 317. quinq; solidis rationibus: Quæ inter referimus etiam novissimum Tridentinum. (2.) Nos etiam* Oecumenicis, *quatenus Canones suos è verè Canonicis scripturis non confirmant, aut illis contradicunt, non subscribere, exemplô Paphnutij, Nicenæ, ut ut generali Synodo, se opponenti. Sozom. l. 1. c. 22. p. 454. edit. Basil. aõ. 1570. quod approbat D. Hier. ep. ad Gal. & consentit Panorm. Canonista de El: C. significâsti: citante Meisn. in Anti-Les: Rat: XI. p. 546. §. quod concilia. (3.) Nos in sanis ac legitimis statutis consentire Conciliis* primariò, *quòd ex Scripturis ita definitum sit:* Secundariò, *quòd Patres concilij illud Scripturæ testimonium dederint. His præpositis, sensum Scripturæ ex conciliorum decretis (sensu Pontificio dictis) non petimus. Rationes.*

LXVII. *(1. 2. 3.) Repete Th: 59. 60. 61.*

LXVIII. *(4.) sunt fallibilia non tantùm, sed & enormiter erraruntExempla suppeditat Dn. D. Meisn. P. 1. Medit: Sacr. Dominica XXII. post Tr. p. 860. ed: aõ. undetriceſimô hujus seculi. confer Contrad. Pont. c. 6. p. 281. seq. c. 29. p. 52. seq. Anti-Vali P. 1. c. 3. rat. 8. n. 22. p. 38 seq.*

LXIX.

LXIX. (5.) *Se invicem reprobant: Anti-Val. P.1.c.3.rat. 2.n.7. p.29. 30. Vt jure de quôvis Papisticô concilio dicas cum Poëtâ: Fixit legis, iterumq; refixit.*

LXX. Nec obst: Qui congregantur in nomine Christi, habent assistentem Christum: Concilia ita. E. Ratio Maj: *Si duo vel tres habent assistentem Christum, cum congregantur in nomine Christi: Quantò magis tanta Præsulum concio. Nam* R. (1.) *in genere: Positô, conditionaliter puta (qui congregantur in nomine Christi) concedi totum Adversariis, nihil incommodaret sententiæ nostræ: Hoc enim saltem inferretur: Ergo concilia habent Christum assistentem: Inde non sequitur: Ergo sensus scripturæ ab illis petendus:* Fac Major esto: *Quicunq; habet Christum adsistentem, ab eô petendus sensus scripturæ: subsumo: Singuli* fidelium habent Christum assistentem (imò inhabitantem *Hagg.2.6. Rom:8.9. 1. Cor:3.16. c.6.19. 2.Cor.6.16. Eph.3.17. 2.Tim:1.14. 1.Joh: 4. 13. Joh: 14.23.) Ergo â singulis fidelibus petendus est sensus scripturæ. Conclusio absurda, E. alterutra præmissarum. Non subsumtio: Quia est Spiritûs S. E. Major, quæ Adversariorũ: Nisi fortè ita concilies: Ergo quilibet fidelis sensum scripturæ petat â seipso: sic n. concedimus. Aliàs quis peteret? Infidelis â fideli: Nam et sic adstipulamur.* (2.) *in specie* ad Min: *quæ κρινόμενον. N. quod concilia Papistica congregentur in nomine Christi: Alioquin enim etiam in verbô Christi, in quô nomen illud patefactum. Iam si in verbô, utiq; etiam in veritate:* Sermo enim DEI veritas *Joh:17.17. sed quæ in conventiculis Papisticis veritas, dictum Th.68.69.* (3.) *Christus l. d. agit de quacunq; collectione, in nomine Christi factâ, etiam duorum aut trium. Ergo etiam de quacunq; particulari Ecclesiâ. Si hoc, & quælibet ecclesia, etiam duorum a. trium collectio, præsentiâ Christi gaudens, potest suppeditare sensum scripturæ: Corruet privilegium, quod sibi Romana vendicat. Ergo præsens dictum nihil ad*

chordas: Cum plura requirantur ad generale concilium, quàm congregatio in nomine Christi.

Assertio IV.

Papa cum Concilio non potest suppeditare sensum scripturæ.

LXXI. *Hæc vox, Papam cum Concilio simul prævalere in hôc negotiô, emunctioris nasi Pontificiis arridet: Nempe subodorantur, capiti cum corpore junctis citiùs quidquam competere, quàm soli alterutri. Sed breviter, cum Papa & Concilia seorsim visa sint,* ℟. *Nihil minùs habet Papa absq́, quàm cum Concilio: Nec quidquam magis habet concilium absq́, quàm cum Papâ,* habitô respectu ad elargiendum sensum scripturæ: *Si enim à multis sensus scripturæ extorquetur:* A cataphractis illum legionibus *petere,* quam sacratis collectionibus *tutius.* DICES: Longè est diversa ratio: Milites armis: Episcopi Spiritu S. instructi. *Sed* ℟. *Etiam miles potest Spiritus S. esse domicilium: exemplô* Abrahami. *Gen: 14. 13.* Moysis *&* Josuæ. *Ex: Lev: Num: per totum.* Gedeonis, *Iud: 6.16.* Samsonis. *Iud.13. ult.* David, Maccabæi: *&c. Contra non omnes Episcopi & Clerici habent assistentem Spiritum S. semper & necessariò, ex* ratione officii: *Ne multa adferam exempla,* Hannæ *&* Caiphæ *Ioh. 18. 13.* Judæ *Ioh. 13. 27.* cujus Episcopatum accepit alter ☩. *109. 8. Act. 1. 20.* Episcopi Laodicensis *Apoc. 3. 16. &c. id affatim testantur.*

Assertio V.

Patres non sunt promi condi sensûs scripturarum.

LXXII. *Prædico, (1.) Nos iterum Bb. Patres non omnino rejicere, quod indefessum Nostrorum studium sufficienter declarat, ut contrarium Adversarij nunquam possint demonstrare. (2.) Nego primos & orthodoxè-Catholicos Patres scripturæ sensum, Pontificiorum modernorum doctrinæ proficuum, in scriptis*

ptis suis reliquisse: Sed ferè totos nostros esse: Adeoq; ut testes eos veneramur: (3.) Posteriores illos, quorum tempore paulatim idolomania Pontificia invaluit, ita tractamus, ut spicilegia post messem instituit colonus: Grana enim ex paleis seligere, quandam erga DEum obœdientiam sapit, & in causâ salutis DEO, non homini obsequi, Christianum. Act: 4.19. His ita constitutis, sententiam nostram ita stabilimus:

LXXIII. (1. 2. 3.) Repete Th. 59. 60. 61.

LXXIV. (4.) Si sensus Scripturæ dependet ex autoritate Patrum, tum nullus erit. Nam (α.) Non omnes Patres de omnibus scripsere (β.) Non omnium habentur scripta. (γ.) Quæ habentur, sæpè sunt adulterina. (δ.) Tam copiosa, ut ab omnibus legi nequeant. (ε.) Dissentiunt. (ς.) sæpius obscuriores eorum interpretationes, quàm Scriptura ipsa: vide hoc uberius in Anti-Less. Dn. D. Meisn. P. 3. Rat. 4. p. 399.

LXXV. (5.) Nolunt (α.) sibi credi. (β.) sunt erroribus pleni. Et (γ.) ab ipsis Pontificiis castigantur & rejiciuntur (cur non eâdem autoritate nobis liceret? v. contrad: Pont: c. 5. p. 272. seqq.) Quam rationum trigam R. Dn. Præses in Anti-Val: ex Pp. & Pontificiorum scriptis prolixâ & evidenti inductione probat P. 1. c. 15. p. à 223. ad 246.

LXXVI. (6.) Si sensus scripturæ necessum habet, ut ex Patribus mutuetur, aut Patres semper fuere, aut aliquando ecclesia caruit verô scripturæ sensu: Non illud: quia aliquod seculis non erant Patres: Neq; hoc: Quia Theophilus Lucæ, Romani, Corinthij, Galatæ, Ephesini &c. Pauli sensum ex scriptis hauserunt, antequam Patrum quis ortus. Ergo scripturæ sensus non dependet à Patrum interpretatione.

ASSERTIO VI. & ULTIMA.

Sensum scripturæ per Traditionum canales ad nos derivare, stultum est.

LXXVII. Ante thematis hujus demonstrationem præco-

gnoscenda iterum nonnulla sunt. (1.) *Multifariam usurpatur vox* traditio: *vide bene multa ejus dictionis significata apud Meisn: P. 2. ph. sob: f. 1. c. 1. q. 1. p. 8. seqq. Reliquis missis, duo faciunt ad institutum nostrum.* (α.) *usurpatur pro* doctrinâ oretenus traditâ, *sive* ad fidem *necessaria illa sit, & profecta mediatè* à DEO *Luc. 1. 2. sive saltem* ad ritus *externos, & ortum trahit* ab hominibus, *de quibus Christus agit Matth: 15. 2. 3. 6. 9.* (β.) Doctrinam scriptô comprehensam notat *Act. 16. 14.* (2.) Removemus *autem genus ritualium* Traditionum, *quas* non scriptas *damus, tamen ut* omnia πρὸς οἰκοδομὴν fierent 1. *Cor.* 14. 26. καὶ κατὰ τάξιν *v. 40. tradita esse, juxta id Apostoli 1. Cor. 11. 34. In hôc utringz conspiramus.* (3.) *Reliqua duo* traditionum *genera idem sunt: Quæ enim primùm* tradita oretenus, *horum summarium* postea scriptô comprehensum. *Luc. 1. 2. Act. 6. 4. 1. Cor. 15. 3. 2. Pet. 1. 15. Atgz* hôc sanô sensu sensum scripturæ ex Traditione, nempe scriptâ, i. e. ipsa scripturâ, petendum diceremus. (4.) *Adversarij verò* verbum Traditum negant consignatum plenariè literis esse, sed restare adhuc quædam, nullibi per totum scripta, sed in Romanæ Ecclesiæ Gazophylaciô fideliter conservata, *idgz est ea* Traditio, *ex quâ sensus hic noster eruendus. Nos* prius, *quod dictum, assumimus, dimicant pro* posteriore *Pontificij:* Quos *contra pro* nostrâ *assertione sequentes damus rationes.*

LXXVIII. (*1. 2. 3.*) *Repete supra Th. 59. 60. 61.*

LXXIX. (*4.*) *Distinctio in verbum* ἔγγραφον *&* ἄγραφον *est nulla: retrogredere ad q. 1. Th. 2. seq.*

LXXX. (*5.*) Traditiones *scripturæ è diametrô contrariantur. Hoc nobis Palladij erit instar, quod si non piget pro virili defensare, quàm facile sit veritati, de mendaciô triumphum agere, manifestum evadet.*

LXXXI. (*a.*) Repugnant Causis externis: *Immensa enim in Dei*

in Dei Legislatoris opt. max. bonitatem, misericordiam, &c. caderent absurda, si ille insufficientibus ad salutem æternam obtinendam mediis nos diceretur instruxisse: Et præsertim collabasceret axioma id Theologicum: Deus vult omnes homines salvos fieri: *Ezech. 18. ult. c. 32. 11. Ier: 53. 6. Matth: 11. 28. c. 28. 19. Marc, 16. 15: Ioh. 1. 29. c. 3. 16. c. 6. 57. Act: 17. 30. Rom. 11. 32. 1. Cor. 15. 22. 2. Cor. 5. 15. I. Tim. 2. 4. 6. c. 4. 10. Quod si statuunt* Pontificii, *ad castra* Prædestinatorũ *transcendunt.* Sed pax antè fida nivibus & flammis erit, *quàm id committent Pontificij; Nisi dictum sibi velint, quod ad Calvin: l. 3. Instit. c. 24. §. 13. Becanus dicit.* Videtur *(verba Becani) Calvinus* Deum facere similem illi Medico, qui dicebat: Si vis sanari, de morbô, nescio quali,
Accipias herbam, qualem sed nescio, vel quã,
Ponas nescio quò, sanabere, nescio quando.
p. 1. Th. Schol. Tract. 1. c. 16. q. 1. p. 183. A. Concludimus ergo: Si Deus seriò omnium salutem promotam vult, media ipsis manifestavit in eô, *quod solùm jusserit eum ob finem sedulò evolvendum, id est* Scripturâ: Non in eô, *quod aliquibus saltem innotuit, id est,* Traditionibus.

LXXXII. (β.) Contriantur Effectis. Scriptura *enim non solùm sufficientissimè ad salutem nos instruit 2. Cor: 3. 15.* (*ad quid hôc locô* Traditiones?) *sed etiam articulos fidei omnes satis superq; stabilit & probat. Quomodo jam aliquid per* Traditionem, nullibi scriptam, *quod per* scriptam, *probatur? cum contraria in eodem subjecto simul & semel agere nequeant. Contradictionem autem hìc occurrere, ex pauculorum exemplorum inductione patebit:* (1.) *Docent* Pontificij, *quòd baptismus infantum sit* ex Traditione (*non scriptâ*) *Bec. l. 1. c. 2. §. 11. p. 80. secundùm comp: man: Contrà* Orthodoxi, *quod sit* ex scripturâ. *Illa enim tradit, Apostolos baptizasse* integras domus *Act, 16. 15, c, 18. 8. 1, Cor: 1. 16. Vbiq; est vox*

οἶκος.

οἶκος. *Domus autem* Μεταφορικῶς *posita, exceptionem hanc admittit, ut soli adultiores intelligantur, id quod ex collatione aliorum locorum colligitur.* Jacob prospicere vult domui *suæ Gen: 30. 30. ubi* & liberorum *antea mentio injecta. v. 26.* Rahab meretrix servata, & domus Patris ejus *Jos: 2. 12. c. 6 25. cujus planior explicatio c. 2. 13. c. 6. 17. 22. 23. Sic 1. Tim: 3. 4. 5. & alibi.* DICES: Non sunt expressa verba: Ergo illorum sensus ex traditione tamen quærendus: *Sed* R. *Nequaquam: sensus ex aliis* scripturæ *locis,* non ex traditione *demonstratus. Nam sive quid* expresse, *sivè* analogicè *contineant sacræ litteræ, verè continent. Regerunt Adversarij:* At hoc ineptè, ineptiùs, ineptissimè disputatum ex sacrâ scripturâ, *quæ Becani vox est l. 1. c. 1. q: 10. §. 1. 2. p. 70. comp: man: Sed* R. *Becano & gregalibus ejus, quod hôc modô ipsum* eruditæ linguæ Doctorem *Ies: 50. 4. &* in quô omnes thesauri sapientiæ absconditæ, *reprehendant. Col: 2. 3. Ille enim, quamvis responderet:* Erratis, nescientes scripturas: *Tamen non* explicitam *Scripturam adducit:* Mortui resurgent: *Sed* implicitè, *& per legitimam consequentiam Matth. 22. 29. 32. Sic* (2.) *Baptismi formulam* Apostolicis Traditionib⁹ *acceptam ferunt* Papistæ. *Bec. d. l. p: 81. Quintum: aliq.* (Auditum admissi risum tenatis amici. *Hor. de A. P. v. 5.*) *Nos verò* Apostolicis scriptis *Matth. 28. 19.*

LXXXIII. (3.) *Processionem Spiritus S. à Patre & Filiô* ex Traditione *esse, testis est Azor. l. 8. c. 4. Instit:* (*citante Rev. Dnô. Præs. in contrad. c. 3. §. 20. n. p. 243.*) *Nobis contrà, quod* ex Patre *procedat, constat ex* Scripturâ *Ioh. 15. 26. Quod à* Filiô. *Similiter:* Nam quæ habet Pater, & filius habet *Ioh. 14. 10. 11. 20 c. 16. 15. c. 17. 18. Hinc* eum mittere dicitur *c. 15. 26. c. 16. 7. Adde alia Ies. 11. 4. quod reperitur 2. Thes. 2. 8. Rom. 8. 9. Gal. 4. 6.* (4.) *Quod Dei Genetricem etiam post par-*

partum indelibatæ virginitatis flos ornârit, ex Traditione *est juxta Pontificios. Bec: d. l. p. 81. Quartum. Quid nos hìc? (α.) Non* absolutè *necessarium ad salutem, illud scire, vel ignorare, (β.) Vt tamen aliquid reponamus, in gratiam adversariorum, hæc nostra mens est:* Natum esse DEUM per genitalia VIRGINIS, credimus, quia legimus: *(nempe Iesa. 17. 14. Matth. 1. 23. quibus expressis dictis multi à multis typi adduntur.)* Mariam post partum cum Josephô concubuisse, nõ credimus, quia non legimus: *verba Hieron: contra Helvid: qui & dicta eleganti ratiocinatione d. l. demonstrat, citante Dn. D. Gerh. in exeg. L. de script. Th. 386. p. 416. Sed hæc hactenus, ex quibus ad oculum* Scripturæ *&* Traditionum *contrarietas demonstrata:* Major *autem illa appareret, si eos examinaremus & exanimaremus fidei Pontificiæ articulos, qui nõ* ignoti *modò, sed & planè, perq; totum* scripturæ contrarij: *Vt puta* de abominabili Missæ Sacrificiô: cultu imaginũ: Invocatione Sanctorum: Purgatoriô &c. *Quos, cum erroris convinci sibi improprio esse judicent, ex* Traditionũ *promtuariô inexhaustô mutuantur: Sed hæc nõ hujus loci & instituti.*

LXXXIV. (γ.) Adversantur affectionibus, *idq; (1.) Ratione* autoritatis: Scripturæ *enim autoritas* à DEO, Traditionũ ab Ecclesiâ: *Sed hæc melioris cognitionis ergo aliquantulum diducenda: Dico:* Absolutè consideratam autoritatem immediatè quidem ex se ipsâ habet scriptura: Quæ Mediatè à Deo: Determinatè verò ab Ecclesiâ, *vocatur aliàs secundaria, testificans, ministerialis &c. Vt illa Dictatoria, Prætoria, judiciaria, Magisterialis &c. Non acsi geminam statueremus* autoritatem: *Nam* nos *priore istâ essemus contenti:* Si enim apud Pythagoræ discipulos præjudicata Magistri tantum valuit opinio, ut IPSUM DIXISSE satis illis esset ad credendum: Quantò magis Dei autoritas, arcana rerum cœlestium per suos enunciantis ac docen-

tis instar omnium rationũ (*ac testimoniorum*) esse debet, *inquit de autoritate Geneseos Ben: Perer: T. 1. comm: in Gen: in præf: p. 4. med: ed: anno 1690. Ingolst: nec quid vetat, quò minùs de Canonicis scripturis eadem universaliter usurpemus. Et ut diplomatum regiorum: Ita nec Epistolæ Dei* (*Th. 24.*) autoritas *abs Tabellionis testimoniô dependet. v. Iesuitam Perpin: Orat. 7. p. 266.* At nostra Theologia. *seq. Sed in gratiam saltem* Adversariorum, *quibus hosce nobis terminos cudere & obtrudere placuit. Prius licèt largiantur etiam Pontificiorum plerique, in quam sententiam Cl. Theol: Dn. D. Gerh. in exeg: L. de Script: Th: 46. p. 67. bene multa ex scriptis eorum exempla adducit: Tamen nec desunt, qui isti sententiæ reluctentur, & contrarias foveant, v. d. l. Th. 37. p. 53. Sed cum his transigant priores isti intra sese: Nos eos committimus.*

LXXXV. *De* secundariâ *ergo* autoritate *demum cum ipsis contendimus: Nos* quà rem *dicimus eandem esse cum priore: differre ab istâ,* quà Accidens *saltem: Et ob datam suprà rationem, posse nos eâ destitui: Illi contrà,* absolutam autoritatem *habere scripturam ratione Dei:* Determinatam *respectu sui, idque necessariò. Quæ adferunt pro hâc suâ thesi, diluuntur, si distinguimus: Nam ut aliquid largiamur Pontificiis, valere* testificantem scripturæ autoritatem *dicimus, si de ecclesiâ plantandâ, & nondum ad fidem christianam conversis, est sermo. adeòque de occasione credendi. Ibi enim aut* repudiatur *scriptura, aut* ignoratur: *Si hoc: Sit ecclesia instar* Samaritanæ testificantis *Ioh: 4. 28. 29: Si illud: similiter ad testimonium ecclesiæ, tot jam seculis divinam scripturarum majestatem venerantis, refugiendum, ut Aug: adhuc Manichæus* (*contra ep: fund: c. 5.*) non potuit scripturæ credere, nisi eum Ecclesiæ movisset autoritas. *Nam Manichæi omnem repudiabant scripturam, teste, Dn. D. Hutterô L. de script: p. 35. B. in orâ. Sed neutrobique* primaria scriptura-

pturarum *autoritas labefactatur*: Jbi *enim dicitur deinde testificanti*: Jam non propter tuum testimonium credimus: Jpsi enim audivimus, & scimus *d.l. Ioh: v. 42. Hic verò*: Eam scripturam mihi profers, cui propter Catholicos istos credideram: *Aug: d.l. Sed etiamsi hoc concederemus, tamen salva thesis nostra: Nos enim, cum quibus ipsis res est, ad neutram harum, sed sequentem classem pertinemus.*

LXXXVI. *Ergo inter* ecclesiæ filios *nullum esto de scripturis dubium. Quocunq; id respectu fiat, idem est: Vt scilicet respectu nostri si indigeat, omninò indigeat ecclesiæ* autoritate: sui *ratione haut indiget: Non enim propter seipsam, sed in* NOSTRAM doctrinam scripta *est Rom: 15. 4. Si verò plânè ab ecclesiâ, prior erit ea verbô Dei, quod etsi plenis buccis effutiant Papi sequæ: Tum tamen, cum fructû, quâ fructus, semine priorem, demonstrabunt. Luc. 8. 11. 1. cor: 4. 15. Iac: 1. 18. 1. Pet: 1. 23. Manet ergo, quod scripturarum nulla propriè autoritas, præter quam quæ â Deo. Sed fiat jam Oppositio:*

LXXXVII. Autoritas Traditionum *unde? respondent: Ab ecclesiâ Catholicâ (Romanâ) Vnde hæc eas? A capite Papâ: Vnde ille?* Hic aqua, *quod dici solet*, hæret. *Neq; enim salvâ veritate potest easdem à Christô, cujus falsò se Vicarium jactitat, accepisse, quippe rejiciente* Traditiones *Matth. 15. 3. 6. 9. Nec à Prædecessore, Apostolorum Principe, qui parùm tribuebat* Traditionibus *1. ep. 1. 18. sed* βεβαιοτέρῳ τῷ προφητικῷ λόγῳ προσέχων ἐτύγχανε *2. ep. 1. 19. quemq; literis expressit,* ut post obitum suum illius *(firmioris sermonis Prophetici, non Traditionum)* possent facere memoriam *2. ep. 1. 15. Manet ergo: Ab hominibus. Ergo eam habent autoritatem, quàm Pharisæorum istæ d. l. Matth.*

LXXXVIII *(II.) Ratione* Claritatis, *de quâ hæc est nostra sententia. Non docemus, quod (1.)* omnia *in scripturis clara & aperta: Ergo injurius est in nostram confessionem Sixtus*

ille Senens: l. 6. Biblioth. annot: 151. qui suis id persuadet. Nec (β.) omnibus, *sine discrimine, esse perspicuam* 1. *Cor. 2. à 10. ad f. Nec* (γ.) *perspicuam, ut* propriô Marte, *ut ajunt, in ejus sensum penetremus: Etenim ardentibus votis opus est* ψ. *25. 4. 5.* ψ. *119. 18. 27. 34. & per tot. Nec* (δ.) *adeò lucidam, ut* ordinem interpretationis *publicæ ex ecclesiæ pomœriis exterminatum velimus: Scimus enim, quòd* Spiritus S. dona linguarum dederit ALIIS, ALIIS interpretationem linguarum *1. Cor. 12. 10. Ergo hactenus proprius cum larvis puguant Andabatæ Pontificij: Sed* Scripturam per se claram & perspicuam esse fidelibus & illuminatis, in rebus fidei & his, quæ salutem concernunt.

LXXXIX. *Idq; freti testimoniis Scripturæ apertis Deut. 30.* 11. 14. Ps. 19. 9. Ps. 119. 105. Prov. 6. 23. Joh. 17. 6. 2 Tim. 3. 15. 2. Pet. 1. 19.

XC. *Claris testimoniis Spiritus S. addo: Si obscura est scriptura in rebus fidei etiam fidelibus, aut* non voluit DEVS, *aut* non valuit (*optimus tamen linguarum formator*) *perspicuè loqui. Non hoc: Quia Vorstianum est delirium, quod impingit tum in expressa scripturæ dicta, Gen: 17. 1. c. 49. 25. Sap. 11. 18. 24 Matth. 3. 9. Marc. 14. 36. Luc. 1. 37. c. 18. 26. 2. Cor: 6. 18. Eph. 3. 20. &c. Tum in primum Symb. Ap. articulum* Credo in DEUM Patrem OMNIPOTENTEM: *Tum etiam praxin Romano-Catholicæ Ecclesiæ, & ejusdem membrorum confessiones. Sanè M. Becan. non inscitè vituperat Vorstium Calvinistam, infinitam DEI potentiam labefactare audentem: v. Ejusd. Theol: Schol: P. 1. Tr. 1. c. 17. q. 3. 4. p. à 206. ad 210 ed. ao. 1615. Mog. Ergo in hôc punctô fortean conveniemus, & prius erit ventilandum. Si* noluisse DEVM *perspicuè loqui, non sine turpissimâ blasphemiæ notâ, dixerimus, aut* propter se *noluit, aut* propter nos. *Si propter* se, *videbitur subodoratus esse, se aut à nobis superatum iri, aut similes sapientiæ*

pientiâ habiturum homines, quod Pandora illa infernalis è pixide multiformis astutiæ depromsisse legitur. Gen. 3. 4. 5. Aut sibi solus sapere voluisse, ut Agathocles ille Dialecticus *apud Erasl. l. 8. Apophth: p. 663. n. 30. edit. Lugd. ao. 1566. sicq; arrogans & φιλαυτος est, contra illud Prov. 8. 6. c. 16. 5. Si verò* propter nos; *Essentiæ & voluntatis suæ notitiâ reis nobis misellis invidisse dicetur, idq; si nõ ex amore, ut malã, at certè ex odiô nostri, ut bonã, utrũq; contra ψ. 32. 8. ψ. 103. 7. Confer de amore in nos divinô Sap. 11. 25. Ioh: 3. 16. Rom: 8. 28. Tit: 2. 11. 12. 1. Ioh: 4. 9. Et Doctorem Seraphicum, egregiè de amore hôc divinô ratiocinantem p. 1. q. 20. art. 2. (citante eum Dn. D. Gerh. in exeg. L. de DEO, Th. 223. p. 852.) Alia sunt id genus portenta, quæ ex satu dentium humanæ stultitiæ, ut Cadmæi heroës, in mutuam internecionem proni, propullulant: Quæ aut acceptent Antagonistæ, aut veritati subscribant:* Scripturam per se perspicuam esse in salutaribus: *Quod cum ita sit, oppone jam sententiam Papisticam:* Scriptura est obscura, nisi sensus hauriatur ex Traditione, *quod supra Th. 46. n. 5. probatum; Et manifesta nascetur contradictio.*

XCI. *(III.) Ratione* Perfectionis: *Et hic demum sudant Pontificij. Hæc pulchra illa Helena, pro quâ recuperandâ isti, nos retinendâ, non unô decenniô, sed undecimô jam conflictamur: Si enim hanc à nobis palmam ferunt, nullô refragante* Traditiones *suæ scripturæ assuent, & meracissimum verbi Dei* merum *Ies. 55. 1. fœtidis humanarum traditionum fecibus ac flocibus turbabunt: Ergo masculè eorum insultibus resistendum. Dicimus igitur:* SS. Scriptura est perfecta, *& quod Cicero ait,* omnes numeros habens; *Adeoq; ad vitam æternam consequendam sufficientissima, quod probat.*

XCII. *(a.) Ipse Spiritus S. Deut: 4. 2. c. 5. 32. 33. c. 12. 32. c. 31. 24. seqq. Ies. 8. 20. Ps. 19. 8. Prov. 30. 5. Luc. 1. 2. 3. 4. c. 16. 29. 31. Ioh. 5. 39. c. 15. 15. c. 20. 31. Act. 20. 27. c. 16. 22. Rom.*

15. 4. Gal. 1. 8. 2. Tim. 3. à 14. ad f. 1. Ioh. 4. 5. c. 2. 5. 2. ep. v. 10. Apoc. 22. 18. 19.

XCIII. (B.) *Ratio. Si perfecta non est Scriptura, aut* perfectè *non est tradita, aut* perfectè *tradita postmodum mutilata, sive id* factum temporum injuriâ, *sive* hominum nequitiâ: Prius *qui asserit, contra valentem expressorum dictorum amnem (Th. præc.) brachia dirigit: Qui* posterioris primum *è scholâ Pontificiâ arrodit. suo Ben: Pererio (ut alios sexcentos taceam) adversabitur, qui Tom: 1. comm: in Gen: p. à 9. ad 14. scripturæ integritatem vindicat, quòd scilicet non pessumierit: Et quamvis vacillet in præcordiis veritas, ac premátur, (meticulosus enim fulmen ab arce Tarpejâ subtimuit) non tamen opprimitur. Nam postquam pluribus super hâc re contra excidij scripturarum fautores disseruerat, hæc subjungit p. 12. lin. 6.* Non longum, *inquit*, faciam: Prædicti hujus opinionis auctores & sectatores nullô eam scripturæ testimoniô, *(NB. Lector, Iesuita agnoscit necessitatẽ testimonij scripturæ)* nullâ ratione firmâ, nullâ vel probabili ratione confirmant. *Hæc Pererius. Adde, si lubet, Becanum, qui sui iterum oblitus,* Principium fidei esse, maximè necessarium, ait, quod tota scriptura V. ac N. T. præsertim in iis, quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, maneat nobis salva & incorrupta *l. 1. comp. man. c. 2. §. 19. p. 79. Sic sic Deus* in medio inimicorum dominatur ☩. *110. 2.* ! *Qui de* alterô posterioris *membrô dubitat, dubitat de juramenti divini veritate Matth. 5. 18. Luc. 16. 17. propositi.*

XCIV. *Est ita q́, ut opinor, thesis nostra radiô solis, quod dici solet, & satis apertè pro scripturarum perfectione scripta, Subjungatur jam antithesis Pontificia:* Scriptura absq; Traditionibus non-scriptis est manca & mutila: *Qui hìc non contradictionem videt, dignus est, cui perspicilia adhibeantur, quæ Vlysses Polyphemo. Verùm-enim-vero* perfectum *non patitur*

titur additionem sui necessariam *sed* voluntariam *& libe-*
ram, quæ se ita habet, ut vel admitti possit, vel secus: Nam si
necessariò perfecto *debet addi, solidum illud* perfectionis
fundamentum subvertitur, quod & sine ratione, & contra ra-
tionem fieret, plùs quàm rectâ cum ratione delirantis documen-
tum. Si verò liberè, *perinde est, sive additamentum illud par-*
ticipemus, sive secus: & hôc sensu, ut mantissam, quæ possu-
mus incauteriatâ conscientiâ, ex Traditionum *penu deprom-*
ta admisimus. Ad cæteras quod attinet, aliquando eas etiam, nõ
sine reverentiâ, nempe die XXX. Febr. acceptabimus; Tum e-
nim exspirabit illa cum scripturis Traditionum *dissensio.*

XCV. *Demonstrari hæc* Traditionum *cum* scripturis *re-*
pugnantia pluribus posset: Sed pro instituti & temporis ratio-
ne hæc sufficiant, quæ majoris evidentiæ ergo simplici includi-
mus Syllogismo:

Quicquid repugnat (1.) causis, (2.) Effectis (3.) Affectio-
nibus *scripturarum, illud toti Scripturæ manife-*
stè contrarium.

Atqui Traditiones *Pontificiæ* (1.) causis, (2.) Effectis, (3.)
Affectionibus *scripturarum repugnant.*

E. Traditiones *Pontificiæ toti scripturæ contrariæ.*

Maj. *probatur: Quia* causæ, Effecta, Affectiones *sunt præ-*
cipua rei requisita, quæ si tollis, totum esse ejus erit sublatum.
Minoris primum *membrum Th.* 80. secundum *Th. 81. 82.*
Tertium *Th. ab 83. huc usq; copiosè & dilucidè satis demon-*
strata. Firma ergo stat conclusio, supra Th. 79. proposita.

XCVI. (6.) *Alia rationum momenta,* pro sensu scriptu-
ræ è Traditione non petendo, *dari possent, desumta* (1.) *â*
Traditionis *conservandæ modô & mediô negatô* (2.) *â corru-*
ptionis, incertitudinis, & contrarietatis periculô. (3. *à Pontifi-*
ciô dissensu (4.) *â manifestô blasphemiæ piaculô* (5.) *ab absurdi-*
tatum cumulô (6.) *á manifestâ fraude, & fallaci aucupiô, quæ*
submi-

subministrat. R. *Dominus Præses in Anti-Valer. p.* 1. *c.* 16. *p.* 246. *seq. Sed nolo easdem meas facere, eoq; pium lectorem remitto. Nec dicam* (7.) *quod circulus vitiosus committatur hâc ratione:* Scripturæ enim sensum ex Traditionibus *probant Pontificii: Nos negamus: Iterum* Traditiones ex scripturæ *dictis: Iterumq; negamus.*

XCVII. *Quæ pro statuminandâ suâ sententia adferent adversarij, maximam partem q.* 1. *Th.* 7. *ad* 17. *sunt ventilata. Reliqua, ut & rationũ pondera, audiemus in ipsô actu disputatoriô, ubi etiam, annuente divinâ gratiâ, ipsis satisfiet.* Hactenus prima Classis adversantium sensui scripturæ indagando fuit: *Sequitur* (*II.*) altera, *quæ est Anabaptistarum contra quos dicimus:*

Privatus Spiritus non instillat sensum scripturæ.

XCVIII. *Præmonemus iterum* (1.) *Nos nomine familiam ducentium* Anabaptistarum *omnes ejus furfuris sectarios, sive* Swencofeldianorum, *sive* Weigelianorum *sive* Mennonistarum, *sive quôcunq; aliô nomine veniant, intelligere.* (2.) *Vocabulum* Spiritûs privati *non denotare hôc locô* Spiritum Sanctum, cujus fideles unctionẽ acceperunt. *1. Ioh: 2. 20. 27.* ut inhabitaret in illis· *Rom: 8. 9.* 11. adeoq; maximè daret testimonium internũ *v. 16. tum scilicet, cum legitimis mediis, nempe vel auscultationi, vel lectioni verbi vacant, ad assequendum hunc sensum Th.* 103. (3.) *Bene notandum, quod M. Bec. Iesuita D. Paræum Calvinistam circuli commissi arguat, quando* privatum Spiritum exscripturis, *&* has *ex* Illô *probat l. 3. c.* 10. * *p. 502. seq. Et quamvis*

nec mihi Becani, nec rursum cura Paræi.

Tamen ne idem nobis objecteturs, cum hôc *facio, &* illum *cum gregalibus circulatorem esse dico cum Dn. D. Meisn: P. 2. ph: Iob: s. 2. c. 3. q.* 1. *p.* 670. (4.) *Sed nescio quem* alium Spiritum

tum, *qui per infundibula raptuum, & insomniorum, aut similem revelationem extraordinariam, sensum scripturæ se instillare jactitat. Si etiam illum addere vis, qui vulgò* familiaris audit, *liceat: Verùm*,

utervis niger est, hunc tu, Christiâne, caveto.

Contra posteriorem *Dn. D. Meisn. P. 2. ph. sob: s. 2. c. 2. q. 1. p. 557. ad 867. egit, nos jam nunc adversùs* priorem, quem insusurrare legitimum scripturæ sensum negamus, *rationes sunt: Quia*

C. (*1.*) *Sunt alia media: partim Th: præc: n. 2. partim suprà Th: 36. (a.) It: Th: 38. quasi indice digitô monstrata. Verbô: Ipse Christus & Apostoli tam sufficienter nos in verbô revelatô erudiunt Act: 20. 27. Heb. 1. 1. &c. ut nullâ indigeamus revelatione aliâ, 2. Tim. 3. 17.*

Cl. (*II.*) *Nullum habemus in scripturis exemplum, sed potius contrarium Luc. 16. 29. 30. 31.*

Cll. (*III.*) *Neq; mandatum, sed interdictum manifestum, Gal: 1. 8. 1. Ioh. 4. 1. seq.*

Clll. (*IV.*) *Periculum sub tali* spiritu *subest. 2 Cor. 11. 14.*

ClV. (*V.*) *Dubium reddit: Notius enim est, quàm ut probetur, exemplum Daduchi somniatorũ & Enthusiastarũ Zwinglij;* qui sensum verborum institutionis cœnæ à spiritûs, nigri nescius an candidi, revelatione, se non diffitebatur edoctum:

CV. *Nec obstat (1°) Ies: 45. 13. Ioh. 6. 46. Nam Rx. unicô verbo: Dictum nihil ad rem: Aut si est, est pro nobis, id quod ex* ἀυτοψία *patet. Immediatè enim, & eôdem versiculô Salvator addit:* omnis qui AUDIVIT à Patre, & DIDICIT, venit ad me, *ubi illuminationis, conversionis, & intellectûs media inculcantur, non prohibentur, nempe quòd* AUDIRE, *quòd* DISCERE *debeamus. At quomodo* AUDIMUS *Patrem?* Per filium *Matth: 17. 5. quomodo filium?* per Apostolos & eorum

pta *Luc: 10. 16. 2. Cor: 5. 18. 19. 20. 2. Pet:* 1. *17. 18. 19. non per enthusiasmum.*

CV. *Nec (2.) obst: 1. Cor: 12. 6. Nam* R: *Concedo,* Deum operari omnia in omnibus, *Ergo & sensum Scripturæ: Id enim fassi sumus Th: 97. n. 2. At non per enthusiasmum: Sed legitima media. v. c.* Deus operatur conversionem hominum, *quod patet ex locis Ier. 31. 18. Ioh. 15. 5. 1. Cor: 12. 3. 2. Cor: 3, 5. Phil: 2. 13. At non immediatè, ut* Apostoli *Act: 9.* Sed per stultitiam prædicationis *1. Cor: 1. 21. Simili ratione vult Deus nos sensum Scripuræ intelligere, non immediatè, sed* per scrutinium *Ioh. 5. 39. Luc: 16. 29. 30. 31 &c.*

CVI. *Nec (3.) obst: 2. Cor: 3. 3. Nam* R: (α.) *ad hoc dictum responsum Th: 30. Adde* (β.) *Si hoc procedit:* Scriptura est à Spiritu S. inscripta in cordibus fidelium: Ergo ex ipsâ Scripturâ non potest hauriri verus sensus, *quia illa atramentum, & in tabulis, vel papyrô exarata: Tum etiam ita procedere licebit:* Neq; regeneramur, vel convertimur (a) instrumentaliter (b) respectu Dei, ex scripturarum lectione: *Quia per se est atramentum, sunt characteres:* Neq; ex prædicatione convertemur: *Quia ista saltem per se vox evanida, quod tamen contra apertissimam Scripturam Ies: 55. 10. 11. Luc: 24. 32. Ioh: 6. 68. c. 20. ult: Act: 2. 37. Rom: 1. 16. c. 10. 17. Heb: 4. 12. 1. Pet:* 1. 25. *Eadem enim utriq; est ratio. Dico ergo* (γ.) *Nos hôc locô* scripturam *considerare non* formaliter, *quatenus apices, quatenus atramentum est: Sed* materialiter, *quatenus verbum Dei, quod per characteres istos designatur, & sensûs Dei sunt indicia, & indubitata signa.*

(*NB.* (a.) Instrumentaliter: *Ne excludam* Effic: Princ: Summam; *quæ tantùm* gratuita Dei misericordia *Joh. 3. 16. Eph. 2 4. 5. 8. 2. Tim 1. 9. Tit. 3. 5. 1. Joh, 4. 9. Et* meritoriam, *quæ tantùm* passio Christi *Rom. 3. 24. c. 5. 1. 2. 9. Gal. 3. 13. c. 4. 4. 5. 1. Tim. 2. 6.* (b.) respectu Dei: *Ne derogetur* fidei, *quæ* respectu *nostri* est instrumentum *acceptans Rom. 3. 22. 28. c. 4. 5. Gal. 2. 16. Eph. 2. 8. Idq; ex naturâ relatorum*; Ubi enim oblatio; ibi ex altera parte apprehensio sit necessum erit.)

CVII.

CVII. *Nec (4.) obstat 2, Cor: 3. 6. Nam* R. *(1.) & hic violenti sunt adversarij, detorquentes hoc dictum contra mentem & sensum Apostoli.* Hic *intelligit de* legis & Evangelii *collatione: Illi de* scripturarum & enthusiasmi *comparatione. Quomodo quadrant? (2.) A particulari ad universale N. V. C. Paulus loquitur de parte, scilicet* lege; *(At maxima, & potior verbi Dei pars est* evangelium.*) quod abundè, & per totum caput diducit. Quòd autem non universaliter debeat intelligi Paulus, & de totâ* Scripturâ, *monstrant alia dicta: Dicitur enim verbum Dei* ignitum ℣. *119. 140.* penetrans *Heb: 4. 12.* Potentia *Rom: 1. 15. imò* verbum vitæ *Ioh. 6. 68. Quæ, & alia, mortui, vel occidentis attributa esse nequeunt. (3.) Explicandũ tamen, cur* lex occidens *vocetur: Nempe ab eff: Nam quando peccata, iram Dei, & inferni ignem ostendit, nihil nisi* maledictiones, *i. e. interitum & mortem æternam* crepat, *Deut: 27. 26. dicitur verè* occidere: Evangelium *verò cum pavidas mentes erigit, Rom: 8. 31. 32. 33. 34. dicitur* vivificare: *Hinc etiam cum* vinô illa, hoc oleô *comparatur Luc: 10. 34. & apud Zach: 11. 7.* illa virga doloris, hoc amabilis dicitur: Illa *enim est* sceptrum exactoris, *Ies: 9: 4. &* virga oris Dei, interficiens impium *c. 11. 7.* Hoc solatur ℣. *23. 4. Adde (4.) Neq; hôc ipsô respectu* lex *verè & propriè potest dici* mortua: Mortuus enim canis non mordet, *quod in proverbio dicitur: multò minùs* occidet. *Ergo hæc & alia nervum nostræ positionis non incidunt.*

II. Membrum.

V. QVÆSTIO.

Quotuplex sensus Scripturæ?

CVIII. *Præcognoscendum a) dupliciter posse considerari vocabulum* sensûs: Primò strictè & propriissimè, *pro re istâ, quæ per litterarum elementa immediate repræsentatur, & significatur:* Secundò *pro quâvis* accommodatione & ana-

logiâ *prioris* sensûs. *Posterius, nempe accommodatio ista* impropriè *saltem dicitur* sensus: (2.) *Hoc accommodandum erit: Dicimus ergo, si posteriore modô &* generaliter *vox* sensûs *sumitur, tum admittimus adversarios, & nudum nomen dis. sidendi animis rationem importabit nullam, & magni est nobis Bb. Patrum, aliorumq; eruditissimorum virorum, qui hôc* sensu *usi sunt, autoritas. In* propriâ *verò significatione sumtâ voce* sensûs, *ut iste sit* multiplex: *vel reliqui isti modi ut æquè necessarij, atq;* proprius, *qui non potest non adesse in quôcunq; sermone: Tum dicimus;* Sensum Scripturæ esse simplicem ac unicum. *Rationes sunt.*

CX. (1.) *Agnoscunt & concedunt Adversarij,* unum esse sensum præcipuum. *Bec: l. 1. c. 1. q. 4. p. 43. comp. man: Ergo nobiscum distinguit Iesuita inter* sensum primarium & secundarium.

CXI. (*II.*) *Concedunt communiter adversarij,* solum literalem sensum stringentia suppeditare argumenta. *Rob: Bellarm: l. 3. c. 3. de V. D. §. Sed quoniam & l. 2. c. 20. de grat: & lib: arbitr: Salmeron proleg: 19. t. 1. Ioh: Lud: Viv: Valent: in Aug: de C. D. col: 792. D. &c. &c.*

CXII. (*III.*) *Locutio multorum* sensuum, *ut Lernæum illud monstrum multorum capitum, ferax, non simplex sit, sed ambigua oportet; Quale est responsum, Epirotarum Pyrrho ex Tripode dictum:* Ajo te Æacida Romanos vincere posse. *Talem verò esse locutionem scripturarum, & non potius* unicum *ac* simplicem, *qui affirmabit, cerebrum videtur in calcaneô habere: Ergo unicus etiam literalis sensus, prætereaq; nihil.*

CXIII. (*IV.*) Sensus Pontificij sunt incerti, & ferè solâ conjecturâ nituntur, *ait Iac: Bonfrer: P. P. Acad: Duac: c. 20. s. 3. præloq. in V. libros Mos: Et alius ait:* sensus mysticus & allegoricus, præterquam quod non est ad docendum.

dum quidquam, probandumq́; satis idoneus & firmus; *est* VARIVS, MVLTIPLEX, *&* INCERTVS tantâq́; in varietate constitutus, quanta est hominum, ad eos sensus FINGENDOS, solertia, & ubertas ingenij *Ben: Perer: T. pr: comm: in Gen: inc. 1. reg: 1. §. in exordiô, p. 26.*

CXIV. (*V.*) *Multiplicitas* sensuum *contrariatur fini scripturarum, qui est ERVDIRE 2. Tim: 3. 19. Ambiguum verò id nequit, teste Philosophô l. 1. de cælo c. 11. tex. 110.*

CXV. (*VI.*) *Adversatur præterea officio Spiritûs S. quod est:* DVCERE in omnem VERITATEM. *Ioh. 16. 13. Atqui nihil intellectûs veritatem magis turbat, quàm amphibologiæ. Posteriorem utramq́; rationem suppeditat, & latiùs tractat Dn. D.* Meisn: *p. 2. ph: sob: f. 2. c. 2. q. 4. p. 592. 593.*

CXVI. *Nec* obstat (*α.*) Autoritas Patrum, *quam objcit Bec: l. 1. c. 1. q: 3. p: 38. seqq: seq́, clypeô D. Thomæ munit, ex P. 1. q. 1. art: 10. Et Paulò post §. 30. p. 40. (quod commune est omnibus Pontificiis)* sensum mysticum *subdividi ait in tres alios, ut summa sensuum Pontificiorum sit quadruplex: Iuxta notissimum illud, etiam in triviis:*

Litera *gesta docet: Quid credas,* Allegoria;
Moralis, *quid agas: Quid speres,* Anagogia.

Nam R. (*1.*) *etiamsi omnes, quotquot fuere unquam, Patres rigidè thema hoc pro Pontificiis defensent tamen eorum autoritas divinæ minimùm præjudicat.* (*2.*) *ut omnia in meliorem partem interpretemur, dicimus, distinctionem esse adhibendam, Th: 17. propositam.* (*3.*) *Autoritate D. Thomæ nequaquam tenemur: sed quô aliæ Scholasticorum sectæ, Occamistas, Scotistas &c. dico, eôdem jure & nos destituere eam possumus.* (*4.*) *Si quivis* usus, *quævis explicati textûs* applicatio *peculiarem* sensum *procreant, limâ dignum, & virgulâ censoriâ hoc thema: Ita enim nos* quinq; sensus *constituemus:* Doctrinalem, Refutatorium, correctivum, Informatorium, Consolatorium.

rium: *Hâc enim ratione quandam apparentem habemus cum scripturâ* ἀναλογίαν *ex Rom: 4. 15. 2. Tim. 3. 10. Imò* infinitos *statuebat, quod audivimus Th. III. Pererius Jesuita ipse.*

CXVI. *Nec* (β.) Obst: *varia exempla, quæ Bec: d. l. q. 3. ex scripturis glomerat: Nam* Responsio *ex jam dictis partim patet, quod sint* accommodationes applicationes, usus, conclusiones, literalis sensûs. *Partim ex locorum inspectione. v. c. 1. cor: 9: 9: quem locum citat p. 41. §. 5. moralis. Ibi unicus* sensus historicus *seu* litteralis, *quem adducit ex Deut: 25. 4. Hunc cum proposuerat,* usum *Apostolus subinnuit proximô v. 10.* Annon hæc propter nos scripta sunt *&c. Quod agnovit ille sine mente & fronte plagiarius Domini D. Hyperij Laurent. de Villâ Vincent: Eremita Hispanus, l. 2. c. 20. de studiô Theologicô, cum inquit:* Interpretatio Tropologica non est remota ab eô sensu, quem verba orationis pariunt; sed ACCOMMADATIO ejus, quod verbis innuitur, ad vitæ & morum institutionem.

CXVII. *Quæ* (γ.) *in conclusione habet* §. *7. p: 42. Quatuor Principes Patres, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium (sed non addit quem Gregorium) singulos in singulis* sensibus *excelluisse; Nil nobis obstant. Nam* R. *Scripta Patrũ triplici ratione sunt* diversa: (α.) *ratione* formalis: *i: e: styli.* (β.) *ratione* materialis *i: e: rerum* (γ.) *ratione* utriusq;. *Posteriores Interpretaiones verè* diversos sensus *fovent, eosq; contrarios, quorum vnicus saltem verus: Ergo reliqui necessariò falsi: Hoc autem vix admittent Pontificij, ut de Patribus, & eorum scriptis dicatur: Ergo prius malunt: Quod dictorum Patrum, circa* sensum Scripturæ (*qui unicus*) *interpretandum, hic eô, ille aliô, iste iterum aliô, sicq; consequenter, stylô sint gavisi: styli autem diversitas* sensui *diversitatem non importat.* (2.) *Si* sensus *istos dicti Patres fideliter investigârunt, erunt, ex opinione Pontificiâ,* veri sensus. *Cur*

ergo

ergo, quod non semel fit, (v. Th: 75. 7.) ab illorum expositione recedunt, sicq; à verò *scripturæ* sensu?

CXVIII. *Nec (δ.)* obst: Est nasus cereus: *Nam in quamcunq; sensum, & quocunq; lubet, potest flecti. Ita Alanus Copus Dial: 6: p: 890. 891. Antuerp: ao. 1566. ed: alios vide apud cl: Virum Dn: Wilh: Nigrin: in papist: script: contemtus arg: 14. p: 515. ad. 523. ed: Witeb: ao. 1629: Nam R. Falsæ huic præconceptæ opinioni tota res inniti videtur: Satisq; manifestum reddunt adversarij, quod convitiis proscindentes, & horrendis dicteriis blasphemi certitudinem hanc exagitantes, infestent, suisq; suspectam reddant. Quare id? Vt miseram plebeculam, ut apes*

Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent,

(Virg: l. 4. Georg: v. 168.) ab oraculorum divinorum lectione profligent. Maximum flagitium! Majus verò, & supra modum maximum, convittorum aspergine eadem inquinare. Profectò si nostrûm quis in bullas, in indulgentiarum tabulas, aliaq; nihili Ve-jovis Romani scripta, vel leviusculè, ne dicam tam spurcis epithetis, inveheretur; Tri-hæreseos damnatum, non tauro, ut Phalaris, *non purgatorio, sed infernalibus flammis devoverent, plus quàm cruciandum: Hoc primum, nempe, quòd saltem calumnia. (2.) Vnde ergo dicta vox? Absit, ut nobis vel per febrile somnium in mentem venerit; Sed Pontificius est partus; Nec mirum, cum ineptissimis suis interpretationibus ut ceram tractent scripturam. Testis est obliteratum* JEHOVÆH *nomen in Psalteriô, & Bibliis Marianis, quorum part: ant: Th: 90. mentio injecta, & denuò Coloniæ per Vinc: Iustinianum SS. Th: P. P. apud Boëzerum edita, anno 1625. Alia taceo: v. c:* Stigmata Domini JESV in corpore meô porto, *inquit Apostolus Gal: 6. 17.* ergo Christus Sanctissimo Francisco impresit sua vulnera: *Nicol: Papa 6. Decr: l. 5. tit: 12. de verborum signif: C. 3. exÿt qui seminat.*

Ridi-

Ridiculum! Sic: Terra erat labii unius *Gen: 11. 1.* Ergo Pontificii authenticâ vulgatâ versione utuntur per totum terrarum orbem. *M. Bec: l. 1. q. 2. §. 4. p. 37. comp: man: Ineptum! Sic:* Locum pedum meorum (*dicit Iehovah*) glorificabo, & venient ad te (*Messiam*) curvi filii &c: *Ies: 60 13. 14.* Ergo pedes Pontificis adorentur. *Ioh: Steph: Valentinus l. de ador: ped: ἀπροσδυόνυτον! &c: &c: Ergo concludo: Cum nemo nostrûm, nec sanæ mentis Pontificius, nec Patres puriores, plures atq; unum proprium sensum noverint: reliqui verò â Pontificiis ex anili colûs philosophiâ depromti, causam, cur illis adstipulandum, video uullam.*

Sed de sensu scripturarum *tandem finis esto.*

QVÆSTIO. VI.

An necessaria sit scriptura.

CXX. *Præmoneo* (*1.*) *Scripturam hìc intelligi* formaliter *non* materialiter *sumtam.* (*2.*) *scripturam utriusq; T. conjunctim,* (*3.*) Necessitatẽ *dupliciter venire sub considerationem: vel* absolutè, *cum res sese aliter habere nequit simpliciter, propter causam* necessariò *operantem: v. c. Necessarium est, diem jam esse; Quia sol ortus est in nostrô horizonte. vel* hypotheticè, accidentaliter, *ex suppositione: quando res quidem potuisset non-esse,* respectu *causarum* principalium; *At necessariò fit,* respectu secundariarum: *v. c. Necessum est, hominem esse mortalem; non absolutè: Quia ad immortalitatem cõditus: sed propter causas secundas: nempe invidiam Diaboli, peccatum, nativitatemex mortalibus: Hoc sic applico:* Necessaria omnino est scriptura *non primô modô: Quia multi salvati sunt, antequam esset* scriptura: *sed secundô; Quia jam aliter esse nequit, propter causas secundas, quarum plurimæ, nos dabimus præcipuas:*

CXXI. (*1.*) Consequens DEI voluntas. *Hæc fuit quondam, ut oretenus, &* immediatè *suos voluntatem suam edo-*

edoceret; Iam verò, ex quô desiit mos iste, mediante scripturâ *nos informare* DEO *placuit.* Dices: *Cur non & nobis est à concionibus?* R. *Adi Doctorem gentium, & te id docebit Rom: 11. 34.*

CXXI. (II.) Istius voluntatis manifestatio, *duplici ratione.* (1.) Augustissimô scriptionis primordiô. *Ipsus enim* legem suam tabulis lapideis inscripsit *Ex: 24.12.c. 31. ult.c. 32. 15. unde etiam illa* DEI scriptum *vocatur v. 16. Os: 8.12.* (3.) Majestaticô ad scribendum mandatô: *v. Th: 17. 18. seq: edisserant Pontificij, cur* DEVS *opt: max: & scripserit ipse, & sanctis horatnibus id in mandatis dederit, nisi propter* necessitatem *aliquam.*

CXXII. (*III.*) Doctrinæ cœlestis eô major firmitas: ut cognoscceremus verborum, de quibus eruditi simus, veritatem *Luc: 1. 4. i. e. tutiorem firmitatem*, certitudinem *Ita enim vocabulum Lucæ ἀσφάλεια explicatur Phil. 3.* 1. Ne essemus parvuli fluctuantes, & circumferremur omni ventô doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ circumventionum erroris *Eph:* 4. 14.

CXXIII. (*IV.*) Humanæ mentis ad errorum præcipitia proclivitas, *Etenim adhuc docente Deô erant exorbitationes in Ecclesiâ. Gen: 35.2. Exod: 32.8. Ios. 24.2. Ezech: 20. 7. &c. Nam infrequentiores erant conciones divinæ: Ergo ut semper ad manus esse posset, scriptô Dei voluntas est comprehensa. Imò jam in expresso verbô nolunt acquiescere Adversarij*, sed novam *Satanæ* conculcatricem, *cum* solus Christus *Ies: 63.3.* novas, *& nescio quot* mediatorum centurias, *cum iterum* solus homo Christus JESUS *c. 63. 5. 1. Tim: 2. 5. obtrudere ecclesiæ conantur quidam; Quidam rationis decempedâ apertissima verba metiri, itaq; omnipotentiæ divinæ terminos figere non erubescunt.* Si hæc fiunt in lignô viridi, quid in aridô foret? *Luc: 22. 31: Quæ* Spiritus ille mendax in ore seductorum *1. Reg: 22. 22. masculè juvare novit.*

CXXIV. (V.) Vitæ brevitas. *Postquam enim* longævitas hominum, *de quâ Gen: 5. 5. 8. 11. 14. 20.* exspiravit *Gen: 47. 9. ψ. 90. 10. omnino indigemus Scripturis.* Septuaginta *enim* annorum *spatiô tantum addiscere nequimus, quantum illi* nõgentis; *Et parùm rara nobis prædicatio prodesset, nisi quôvis momentô oculis objectari scriptô posset.*

CXXV. *Nec* obstat. (1.) *Tritissimum illud*: Ante Moysen potuit DEUS conservare doctrinam absq; scriptô. *E.* Etiamnum potest. *Nam* R. (1.) *Concedimus totum sine incommodô nostrô, & omnipotentiam divinam unanimô consensu ex primô Symb: Ap: articulô confitemur.* (2.) *à posse ad esse N. V. C. Deus nos potest absq; labore sustentare; Ergo quidquid est hominum monasticen amplectatur i. e. otium. Quis eventus foret? Qui in Æsopi apologô de* ventre & membris *Camer: p. 22. edit: Lubec: an. 1602.* (3.) *A præteritô ad præsens N. V. C. ante lapsum fuit homo absq; vestimentô: Ergo etiamnum est.* (4.) *In specie maxima diversitas est* (a.) ratione hominum: *Patriarcharum summa erat autoritas, variis testimoniis divinis confirmata; ut non posset Ecclesia non credere voci eorum. Vbi jam talis? Forsan Romæ:* (β.) ratione ecclesiæ: *Hæc tum temporis ad unicam erat restricta familiam, adeoq; pauculi informandi. Vbi id hodie? Cum latè pateat regnum Pontificis, etiam ultra* Sauromatas & glacialem Oceanum ferrum (verbum debebat esse) *convertendis Indis dominetur.* (γ.) Ratione modi docendi: *Ibi frequentabantur immediatæ revelationes divinæ; Vbi id hodie? Nisi Enthusiastas approbaverimus.*

CXXVI. *Nec* (2.) *obst*: Tempore N. T. multis annis ecclesia fuit sine scripturâ; *Iren: l. 3. adv: hæres: c. 1. p. 169. edit: Nic: Gallasij. Nam* R. *Bifariam hæc possunt intelligi:* (1.) *Qui de totâ scripturâ, rectâ cum ratione delirat. Remittebantur enim ad V. T. tam* à Christô *Luc: 16. 29. 31. Ioh: 5. 39.* quàm

Apo-

Apostolis *Act: 17. 5. 11. 2. Tim: 3. 15.* (II.) *Qui verò intelligunt de N. T. tantùm, his* ℞. (α.) *Ex supputatione eruditorum paucissimi inveniuntur anni, quibus caruerit Ecclesia scriptô DEi verbô. Matthæum enim omnium primùm scripsisse, post annos octo assumti in cœlos Christi: Marcum post decem annos: Lucam post quindecim: Deniq; Iohannem post triginta annos: Testis est Theophylactus comm: in Matth: in præf: p. 2. ex edit: Oecolamp: per Pet. Quentel Col: ao. 1528.* Paulus dicitur annô passionis duo-de-vicesimô utramq; ad Thess: epistolam exarasse. *D. G.* Reehaan *in Cl: temp: N. T. c. 30. p. 216. Pauci sanè anni:* (β.) *Etiamsi ultra octoginta haberent annos adversarij, id tamen non incommodaret sententiæ nostræ: Certum enim est, vivos Apostolos scripsisse, ut converſi* haberent memoriam doctrinæ Apostolicæ *2. Pet: 1. 15, Nam non suâ causâ scripsere. Ipsi enim infallibilitatis testimonium habebant* Spiritus S. suggestionem *Ioh: 16. 13. mirabiliter super* eos effusi *Act: 2. 2. 3. 4. Quô dum destituerentur successores: necessum utiq; erat, aliud habere fundamentum, scripta scilicet eorum, qui, miraculis clari, doctrinam vivâ voce traditam stabiliverant.* (γ.) *Apostoli primis annis tantum gregem non habebant pascendum, sed paulatim alias atq; alias oves ad ovile mysticum vocabant. Ideoq; initiò vix opus erat scriptione. Postquam verò* sonus eorum in omnem terram exiverat. ℣. *19. 5. Rom: 10 8. quia homines ij, in unô saltem locô docere potuerunt. Ergo ubi* aberant *corpore,* aderant *scripturâ.*

(*Reliqua indigna responsione, nam apertè falsa.*)

QVÆSTIO. VII.

An scripturæ ad artes Magicas adhibitæ quidquam efficaciæ insit?

CXXVII. *Ne in illuni hic nocte versemur, ad rem eò meliùs cognoscendam,* quid adhibitio ista ad artes Magicas Scripturæ denotet, *præmonendum: Idq; ex inductione liqui-*

dum fiet. v. c. Non experientiâ modò edoctus compertum habeo, quod Evangelium D. Iohannis ad rerum picatisſimis manibus ablatarum reſtitutionem facere credatur ſtultiſſimis mulierculis; *Sed Ioh: etiam Wierus Pontificius, ſed medicâ arte, & libris de præſtigiis dæmonum clarus,* (1.) *in genere dicit, quod* characteribus, picturis &c. abominabilis, imò blaſphemus ſacræ ſcriptuæ adhibeatur abuſus *l. 2. c. 5. p. 125. ed: Baſil: annô 1564: Et pauculis interjectis eâdem p. dicit:* Si quis verſiculus in pſalmis, vel aliquâ parte literarum ſacrarum deſiderio noſtro congruus habetur, ille orationibus immiſcetur, & poſt orationem ad DEVM quandoq; oratio convertitur ad exſecutorem illum, qui miniſter in præcedente oratione optatur *&c.* (2.) *in ſpecie hæc manifeſtiora reddit l. 4. c. 4. p. 394. Namdentium dolores aiit ſedari, ſiquis, dum Miſſa peragitur, dentes contingens, dicat:* os non comminuetis ex eô *Ex: 12. 46. Num: 9. 12. Ioh: 19. 37. It: d. l. Febri correptus ſi ante eccſtaſin, manus cum ægrotô lavans, ſecretò recitet pſalmum 145.* * Exaltabo te DEVS meus Rex &c. *It: d. l. Vt vinum non pervertatur eô annô, inſcribitur vaſi:* Guſtate & videte quam ſuavis eſt Dominus. ℣ *34. 9. It: d. l. Ad ſanguinem cohibendum laborantis fronti inſcribunt effuſô ſanguine:* conſummatum eſt *Ioh: 19. 30. Alij recitant hæc verba:* De latere eius exivit ſanguis & unda *v. 34. It: l. 4. c. 5. p. 491. ut fur prodatur, & appredendatur, unà cum aliis quibuſdam affanis recitantur hæc verba:* Juſtus es Domine, & rectum Judicium tuum. ℣: 119. 137. *Ne dicam* de ôratione Dominicâ, ſalutatione Angelicâ *&c. vide c. 9. c. 11. &c. & paſſim apud dictum autorem: addere poteſt, q volet* Die Predigten von den Hexen/ *M. Herm: Samſonij, Paſtoris primarij & Inſpectoris Scholæ Rigæ Liv: alijq.. Ad* dictas, ſimilesq; ineptias nullam eſſe DEI verbo efficaciam dicimus. *Rationes:*

CXXVIII.(1.) *Quia nullum in sacris litteris vel mandatum, vel exemplum, vel promissionem habemus;* Sed si quis tristatur, orare jubetur *Ps: 50. 15. ♆: 91. 15. Iac: 5. 13.*

CXXIX (2.) Est abusus sceleratus, quô sacro-sanctô DEI verbô vis infertur, *verba Wier: l. 4. c. 6. p. 402.* DEI *enim* verbum *eô fine scriptô ad nos pervenit, ut esset* potentia DEI ad salutem omni credenti *Rom: 1. 16.* & converteret animas *Iac: 1. 21. 2. Timoth: 3. 15. 16. 17.*

CXXX. (3.) Nomen DEI in vanum hâc ratione assumitur, *contra Deut: 5. 11. Vt enim incantationis fœditatem purpurissô nominis divini obtegant, Sicq; suam pulchriùs adornent Empusam, ad* verbum DEI *confugiunt.*

CXXXI. (4.) *Voces nullam agendi vim ex sese habent, quia saltem sunt notæ & indices conceptuũ, non naturales potentiæ. Ergo* impium est comminisci, sacra verba eâ pollere virtute, si denuò eò confugiatur, ut notatis solis literarum figuris tam mirabiles progignantur effectus *Wier: l. 4. c. 10. p. 148.*

CXXXII. *Nec obstat (a.)* constat tamen ex historiis & experientiâ, quod quendam scriptura hâc ratione effectum exseruerit *Nam R. Diaboli lusus est, idq; probo (1.) Quia constat, etiam per nihili alia verba expelli dæmonium ipsum: Notum de Ignatiô Lojolâ, Iesuitarum Patriarchâ, quòd Romæ fœminam obsessam liberârit recitatione versûs, & periodi mutilatæ ex Virg: l. 4. Æn: v. 165.*

Speluncam Dido Dux & Trojanus eandem.

ut notavit ex Hasenmull. l. 8. p. 296. Dn. D. Meisn: P. 2. ph. sob: s. 2. c. 2. q. 1, p. 576. & in consult: cath: contra Less: P. 2. consid: 4. art: 2, p. 209. Nec possunt id inficiari Pontificij, aut sine ratione negabunt, ut Mich: Vörösmartus, Plebanus, Sillienſis, in censurâ suâ contra Anti-Less: p. 592. id quidem solummodo mendaces confinxisse ait, *nullam tamen, quod egregij di-*

gij disputatoris est, negationis causam adfert. (2.) Probat id pro me Wier: l. 4. c. 6. p. 403. testimoniô Aug: serm: 24. de tempore: Confirmat hæc (inquit Wierus) Augustinus, dicens: Verum est, fratres carissimi, quia permittit hoc DEUS diabolo, ad probandum Christianum, ut cum interdum per illa sacrilegia (abusum intelligit scripturæ, de quô agimus) aliqua re media, in illâ infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere, faciliùs diabolo credant. DICES: Sed vulgus dudum ea opinione fascinatum fuit: Atqui R. Neq; multitudo, neq; vetustas errori parit patrocinium.

QVÆSTIO. VIII.

An nobis conveniat cum Calvini discipulis in locô de Scripturâ?

CXXXIII. Ante assertionem nostram observandum, (1.) Sicubi consensus inter nos: dexterè ille explicandus: In nonnullis locis unum docemus, verum est; Neq; tamen inde consentimus; Nam non ideo, quod ita doceant Calviniani, & nos; Sed quod ita doceamur in Bibliis sacris, ut ut Bibliæ audiamus Pontificius. (2.) I. Gord: Huntl: jugiter, præsertim c. 12, c. 13. c. 23. c. 24. c. 25. 26. Tom: 1. cõtr: 1. nos quasi adamantinô vinculô cum Reformatis copulat; Quô fine, facile divinatu est: Vt scilicet suspectos nos absurditatum Calvinianarum suis reddat; Et quamvis circa non nulla, quæ habet Huntl. v. c. de Eleem. de mer. bon. op. &c. conveniamus; Indicare id tamen fuisset candidi Catholici, ne simplicioribus fucus venderetur, & nobis ob particularem hunc consensum universalitatis & plenarij syncretismi nota inureretur. Hanc igitur ut eluamus, dicimus; Dispar esse nostrum ab Reformatorum Theologorum circa locum de Scripurâ dogma. Rationes sunt.

CXXXIV. Quia (1.) nos docemus, Scripturam esse credendi regulam (1.) unicam & solam (2.) sufficientem & perfectam (3.) perspicuam. Illi contrà, licèt ore eamdem thesin propugnent,

nent, re ipsâ sufficientiam, perfectionem, & claritatem impugnant eidemq; ludificant, quando Pythagoricam quandam rationis humanæ cum scripturis harmoniam, præsertim in L. de carnis Christi majesticâ & reali omnipræsentiâ, deq; cœnâ Dni. somniant.

CXXXV. (2. *In specie dicimus*, mysteria scripturæ *non esse solùm* supra, *quod illi defendunt, nosq; haud inviti concedimus ex Sap. 9, 16. sed planè etiam* contra naturam; *quod illi negant: Nos affirmamus: Idq;* (α.) ob expressa dicta *Rom. 8. 7. 1. Cor: 1. 19. 20. 23. 6. 2. 14. c. 3. 19. Quibus possunt addi: Prov. 3. 7. Ies. 2. 21. c. 30. 1. Rom. 12. 16.* (β.) ob exempla *Luc. 1. 34. Ioh. 3. 4. Act. 17. 18. 32. c. 26. 24.*

QVÆSTIO IX.

An A. C. Theologi postulari possint corruptionis verbi DEI scripti?

CXXXVI. *Præmitto, quid mihi ad problema hoc ventilandum illicco fuerit:* Huntlæus *Iesuita T. 1. contr: 1. c. 23. 24. 26. p. 89. ad 103.* decem modos introducit, iisq; adversarios corrumpere verbum DEI scriptum ait, *& satis quidem temerariè, pro suâ autoritate; ut exinde illud Ciceronis de divin: in illum rectè retorqueam ex T. 1. cont: 1. c. 23. 24. p: 91.* Neminem cognovi, qui majore autoritate nihil diceret. *Duplici autem modò in nos injurius est.* (1.) *Quòd pro more suo* nos & Calvini-sequas (*hos enim* intelligit nomine adversariorum) *unâ iterum classe collocet, quo jure, vidimus suprà q: præc:* (2.) *Quòd nos* corruptionis scripturarum *reos peragat. Cum autem dictis* decem modis duo saltem, primus *scilicet* & novissimus, *Ecclesiarum nostrarum lumina, & acres hæreticorum malleos, Bb. Lutherum & Chemnitium nominatim provocent; Reliqua autem vel Calvinum, vel Bezam, vel complices eorum taxent: illis missis, quamvis nonnulla ad nos spectare videantur: Nostros à turpissimâ hâc labe purge-*

purgemus, necessum est. Dico autem ingenere, Augustanæ, *non Philippicæ, sed invariatæ,* Confessionis Theologorum neminem *hôc* crimine notari posse. Rationes.

CXXXVII. (1.) *Si fieri posset, nostriq; id emiriti, Iesuita id aut binis his, aut nullis præstabit rationibus. Non his autem, Ergo nullis.* Majoris *evidentia plana; Quia probans ita probat, aut debet ad minimum, ut solidam reddat assertionem suam:* Minoris *veritas infra Th: 41. seq. patefiet.*

CXXXVIII. *Pro integritate sanctissimarum* scripturarum *tanquam* pro aris, *quod dicitur,* & focis, *contra Pontificios, ex Matth: 5. 18. c. 24. 35. Mar: 13. 31. Luc: 16. 17. dimicant.*

CXXXIX. *Super hôc sacrilegiô de ipsis Huntlæi socijs conqueruntur; cum tamen non fugiat eos tritum illud.*

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum

Rom: 2. 2. 1. cor: 9. 27.

CXL. (4.) *Absurdi forent:* Scripturam *enim* fundamentum *agnoscere fidei doctrinale (v. sup: q. 3.) & idem* fundamẽtum *corruptione depravare, sunt opposita privativa: Ergo ridiculi Pontificij, quod usq; adeò Demeas Nostrates iudicent.*

CXLI. In specie *autem* non obstant *prænominatæ Huntlæi objectiones; utramq; videbimus.* Prior *est c. 23. n. 3. p. 90. 91. & trimembris.* (1.) in genere *dicit; B.* Lutheri primam N. T. versionem pluribus quàm mille erroribus scatere. (2.) In specie non postremum hujus rei exemplũ edidisse ait Megalandrum nostrum, quando *Rom. 3. 28.* particulam SOLA, quæ nullibi legatur in sacris, addiderit (3.) Adducit *Iron* παρρησίαν apologeticam *D. Lutheri super hôc factô, sed mutilatam: Ordine ad singula. Ad* (1.) Rx. (1.) *Iesuita* pet: princ: *non enim probat, quod de his errorum myriadibus effutit.* (2.) *Si sibi hoc ad probationem sufficere putat, quòd in margine* Joh: Coclæum de actis Lutheri anno. 1522. appingit, *ineptus est Huntlæus, qui testem suspectum &*

menda-

mendacem in proscenium trahit. Nos verò non illi plus, atq; Pistorianis sarracis inficetissimarum calumniarum, aliorumq; virulentis scriptis, damus fidei. (3.) Sicubi in primâ editione *cespitasse victus fuerit, referimus hosce lapsus, quò ipse voluit; Nempe inter primigenia commentaria, quibus adhuc reliquias quasdam abominationis Pontificiæ immiscuit, ut ipse oret Tom: 1. oper: Jen: Germ:* ut candidus lector cum multâ commiseratione priora sua scripta legere velit; *Ergo omnino veniâ dignus, cum errata funditus exstirpaverit: Residuum illum locum jam* in specie *videbimus, num ille reliquorum omnium specimen.*

CXLII. *Ad (II.) & (III.)* ℞. (unô enim ictu ambo recident) *Aut in Scyllam hìc, aut in Charybdin* Jesuita *impinget: i. e. è duabus unam nolens volens notam incurret: Vt videlicet* si non negligens, impostor *tamen mihi* sit: *Quod sic probo. Aut* legit *Huntlæus Tomos B. Lutheri, aut* non legit. *Si* non legit, *pudeat hominem è Societate Iesu, i. e. Sanctissimum, innocentis famam rodere, vel lædere, & quasi* mortui leonis jubam vellicare, *ubi non opus sit:* Et sic deses erit socius Huntlæus, *qui in istô suô otiô ab hoc negotiô abhorruerit: Sed absit, ut tam malè mihi audiat, quia in glossematibus oralibus allegat* responsionem B. Lutheri, satis, *suâ quidem sententiâ,* immodestam, *ex Tom: 4. germ: Witeb. f. 475 b. ed: ao. 1551. (mihi v. T. 5. Ien: Germ: f. 140. a. seq.) addit etiam tractatus ejusdem* clausulam *f. m. 144. b. fin: Ergo omninò* vidit *&* legit: sicq; impostor est Huntlæus, *illius apud Matt: 4. 6. non absimilis, quandoquidem, quæ maximè ad rem, videns non videt.* Exprobratoriam *enim istam, quâ crabrones papales irritavit, quamq; adducit Huntlæus,* purgatoria *excipit, quam legens dissimulavit Iesuita, ut miseris suis captivis, quibus interdictum sub anathematis pœnâ, hujusmodi hæretica (talia enim hæreticòs) scripta introspicere, glaucoma faceret.*

Integrum locum apponerem; Sed, cum non liceat, hoc summarium *est*: *Quod à familiari germanicè loquendi consuetudine, & exemplis è quotidianô sermone, & scripturarum, tàm hanc voculæ* SOLA *additionem, quam interpretis à* litterâ, *dummodo* litteralem sensum *exprimat, deflexionem, affatim excusat; Imò impossibilitatem litteralis interpretationis ad oculum commonstrat. Obsecramus igitur quemlibet, cui candor cordi est, ut dictam B. Patris Lutheri epistolam inspiciant, qui habent, quiq; possunt; Qui non habent, vel non possunt, sibi legendam mutuentur, ac curent: Verùm qualis est, nec truncata legatur, relegatur, præsertim religiosissima obtestatio p. m. 143.* §. Das kan ich mit gutem Gewissen zeugen: *&c. & indignum Christianô homine dolum, imò impudentiam in* Huntlæô *offendent, tam fraudulenter in hôc tergiversante. Ergo cum satis se defensaverit Thaumasiander noster d. l: Adhæc Pontificij, qui aliquid scribillant, contra divinum istum virum, hoc crepent: Interq; plurimos R. Dn. D. Meisn: vel millies coctam eandem cramben, & à purpurato Patre Bellarmino, & Lessio sodali appositam, rejecerit, avidum lectorem remittimus ad Ejusdem P: 2. ph. sob. f. 2. c. 2. q. 11. p. 656. seq. It: in Anti-Less. P. 3. Rat: 17. p. 480. seq. ubi id egregiè tractat, & postremô locô inter per-quam multa exempla etiam Biblia Italica, Venetiis anno 1546. excusa, allegat, in quibus dictum Apostoli Gal: 2. 16.* Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem I. C. *per particulam exclusivam redditum sit;* ma solo per la fede di Giesu Christo *i. e. per* SOLAM *fidem I. C. ubi tamen vox* SOLA *non in fontibus. Sed ita mos est:* Quæ Pontificius cantat, catholica; Quæ Augustanus, acatholica, licèt iisdem fidibus. *Fuit* prior *objectio.*

CXLIII. *Sequitur* posterior, *quam habet Huntlæus c. 26. n. 12. ubi ait (1.)* Historiam *Act: 19. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* esse planissimam *(2.)* A Nostratibus, quòd adversetur doctrinæ

nostræ

nostræ de identitate baptismatis Johannæi & Apostolici, singula verba diversis ac planè contrariis modis torqueri. (3.) Kemnitium, magnum inter nos *(imò verè Magnum, Huntlæe)* corruptionis apertæ accusat, quòd postquam septem hujus historiæ explicationes partim ex suis, partim ex Calvinianis attulerat, tandem non veritus sit concludere; Locum hunc esse obscurum & ambiguum, ac proinde nihil ex eô probari posse: *quæ verba leguntur P. 2. ex: conc: Trident: L. de Bapt: can: 1. p. 69. edit: Francof: ad Mæn: anno 1606.* Rx. *ad* primum. *Concedo historiam esse* planissimam, *nam & Nostrates* planissimè *in ejus explicatione conspirant. Autoritatem Dn. D. Chemnitij veneramur, & dexterè interpretamur: Dicit ille* obscurum *esse locum: Non eâ* obscuritate, *ut Prophetiæ & Visiones: Sed propter* ambiguitatem: *de quâ Matth: 3. 11. Marc. 1. 8. Act: 1. 15. quòd vox* BAPTIZATI SUNT *v. 5. duplici modo sumatur in Sacris;* pro baptismate Flaminis *&* fluminis; *Et quod magis ad explicationem facit; addit, quod* locus sit controversus *i. e. quod Adversarij* planissimâ *historiâ propter* ambiguitatem *non contenti,* controversiam *pro deteriore vel alienâ significatione nobis moveant. Hæc appellationis, & vocabuli* OBSCURUM *ratio. Ad* secundum Rx. *quod calumnia sit, si q. probasset, quod facere nequit, eum responsione nostrâ fuissemus dignati. Sed hactenus levis est dissensio.* Tertium, *quod rei caput est, accuratiùs considerandum.*

CXLIV. *Antequam verò respondeam, præmoneo: (1.) Nos hôc locô plenariam hujus loci, de* identitate baptismatis Johannis cum Christi, *vel efficaciâ ejusdem, non suscipere. Quod contra institutum; nisi fortè obiter in responsione unâ alterâve voce mentio ejus rei futura sit. Sed saltem Dn. D. Chemnitium, si indiget, â turpi corruptionis verbi* DEI *ignominiâ vindicare. (2.) Huntlæum idem* ψεῦδος *committere quod antea:*

Nec *ipſam Dn: Chemnitij* mentem, *ſed* verba *quædam ſubdolò ſanè aucupiò inducere captata. Idem facit Ioh: Lorinus Huntlæi ſocius, qui comment: in hóc c. 19. Act: v. 5. p. 564. col. 1. C. eadem, & iisdem verbis Chemnitio obÿcit, aliq;.*

CXLV. *Iam in ſpecie* Bz. *Examen canonis primi C. T. de Baptismô valde eſt prolixum. Breviarium ejus eſt; Tantùm vult oſtendere, ſtramineum ac junceum eſſe* anathema *Canonis hujus primi:* Si quis dixerit, Baptiſmum Johannis habuiſſe eandem vim, cum Baptiſmô Chriſti, anathema ſit. *Hìc inquam, ſolus Dn. D. Chemnitio ſcopus; Non ille, ut oſtendat, aliquem ſcripturæ locum, v. c. Act: 19. 1. ſeq: eſſe obſcurum: Ergo apparet, quantopere ludat ſophiſta Huntlæus Elenchô finis. Tractatio autem hujus probationis commodè in duas partes diſpeſcitur:* (1.) *Inter alia quinq;* rationes *adducit, quibus* importunum *eſſe dictum* anathema *evincit.* (11.) *Duas* obiectiones *diluit, quæ eandem theſin ſuam impugnare viderentur.* Rationes *ſunt:* (α.) *Diſtinguit inter articulos fidei* fundamentales; *& inter alias ſubtiliores* quæſtiones, quæ non ſint de ſubſtantiâ fidei. *Poſterioris generis dicit hanc eſſe de baptiſmô Iohanneô controverſiam:* Cum nemo hodie eô baptiſmate tingatur, ſed ceremonia ſaltem fuerit temporis exigui, & quidem dudum præteriti: *p. 61. l 40. ſeqq. Ergo ob hujusmodi articulum nemo* anathemate *feriendus.*

CXLVI. (β.) *inducit* veterum *diſputaiones ſuper baptiſmô Iohannis, nempe* Cypriani, Lõgobardi, Gabrielis, Chryſoſtomi, Auguſtini, Ambroſii, *quorum non una in omnibus mens p. 62. *. Ergo aut errarunt priſci illi Patres, quòd diſſenſerint; Adeòq;* fulmine Tridentinô *jugulati: Si ſecus; Manet, quod nec in* recentiores *tantopere ſæviendum, cum non minor circa articulos fidei* horum *atq;* illorum *libertas.*

CXLVII. *Ratio* (γ.) *Quod* efficaciam, *cujus ſit in canone mentio, attinet, dicit,* eandem eſſe baptiſmi Johannis, quàm Chriſti:

Christi: Johannes *enim* baptizasse *dicitur* baptismô pœnitentiæ *v. 4: At quid hoc:* baptismô pœnitentiæ? *Id est* in pœnitentiam *Matth: 3. 11. i. e.* baptismo pœnitentiæ, in remissionem peccatorum *Mar: 1. 4. nam* qui baptizabantur, peccata confitebantur *v. 5.* DICES: Baptisavit baptismo in remissionem, non remissionis peccatorum: R. *Sunt æquipollentes Theologicè Enunciationes: Vt* baptismus in pœnitentiam *Math: 3. 11. &* baptismus pœnitentiæ *Act: 19. 4.* ισοδυναμοῦσα *Stat ergo firmô talô, quòd* in remissionem peccatorum baptisavit Johannes, *quod & Matth: 3. 7. 8. indicatur: At ubi* remissio peccatorum; *ibi & fides: Ergo baptismus Iohannis etiam fuit* baptismus fidei, *quod & Act: 19. 4. expressè dicitur. Idem prædicatur de baptismo Christi Act: 2. 38 p. 63. l. 39. p. 64. 1. seqq. Ergo iterum clarum est, aut scripturam peti* anathemate Tridentinô, *aut id nullũ esse; Scriptura enim dicit eandem esse & Ioh: & Christi baptisma.*

CXLVIII. (δ.) *Quamvis* conveniant, *dicit tamen, in quo etiam* differant Christi & Johannis Baptismus *p. 64. l. 20. ad p. 66. & l. 34. p: 66.* simplicissimam dicit utramq; esse rationem, consonam quippe verbo DEI, quod *& ostendit (evidentiùs autem legere est in Dn. D. Broch: T. 2. syst: Theol: L. de bapt: c. 5. sect: 4. p. 2012.) Ergo liquet tam præcisè, & tam indiscriminatim* non fulminãdum Tridentinis Patribus *fuisse.*

CXLIX. (ε.) *Deniq; tractat quæstionem:* An suffecerit baptismus Johannis primis. *N. T.* temporibus, an verò baptizati denuò indiguerint baptismô Christi *p. 166. l. 36.* Ab affirmativâ posterioris, *probatâ non nullorum Patrum testimoniis, certâ quidem conditione,* se non valde dicit abhorrere; *Sed-enim* quoniam scripturam id non curiosè & scrupulosè observasse notat, sed prius verisimiliùs probare, relinqui hanc sententiam in mediô posse censet, & utram quis sententiam amplectatur, salvâ posse manere

fundamenta *p. 67. l. 27. Ergo si hoc Patres dicunt primitivi, aliud scriptura, neutrumq; contradicit simpliciter alteri: Quis non videt* vanitatem anathematis, *sine ratione vibrati? Hactenus contra* anathema *canonis actum.*

CL. *Pòst dilutt* partionum, *suasibilium ad imminuendum efficaciam baptismi Iohannis*: Prior *ex Matth: 3. 11. ubi dictum, quod* non idem baptismus, *e.* nec eadem efficacia: *Sed* Rz. (α.) *satis dilucidè, idq; saltem ex scripturis, explicat, quòd* non iteratus baptismus fluminis, sed Flaminis intelligi debeat, *p. 67. l. 30.* (β.) *Ait, hôc dictô responsum tantummodo reddi legatis Pharisæorum, Iohannem Messiæ honore beantium, ac distinguit inter Baptistam, &* Christum, *interq; Hujus* magisterium *atq;* illius ministerium: *Negq; hunc sensum esse*: Ego baptizo vos aquâ, Ille spiritu & igni: *Ergo ego baptizo absq; spiritu; Ille baptizabit absq; aquâ; Ergo tandem concludit*: Idem hic innui, quod de suô etiam ministeriô Paulus *1. cor: 3. 5. 6. 7. Nihil hic de obscuritate.*

CLI. Posterior *Obiectio est locus, sæpicule iam dictus, Act: 19. 1. seq. Vbi expressum adducitur exemplum, quòd* diversitas inter baptismum Christi & Johannis, Quod cum contra nos, *dicit Huntlæus*, Chemnitio hunc locum esse obscurum. *Sed* Rz. (α.) *Repetantur supra Th: 144. &c. posita* (β.) *denuò adducit quasdam explicationes:* Glossæ *interlinearis p. 70. l. 8.* Ambrosii *Ibid: l. 16. & 37.* Longobardi *Ibid: l. 24. & p. 71. l. 4. Hic NB: Huntlæus* septem *dixerat à* Chemnitiô adduci interpretationes, partim ex Nostratibus, partim ex Calvinianis: *Sed ego* (1.) Non septem, *sed vel plures, vel pauciores sententias invenio* (2.) *Quòd* ex Nostratibus & Calvinianis dicit esse adducta loca, *non intelligo, quid sibi velit hôc effatô Huntlæus: Sic enim* autor Glossæ *interlinearis*, Ambrosius, Longobardus *&c. aut Lutherani, aut Calvinistæ erunt. Ergo non-Catholici i. e, acatholici, ex sententiâ*

Catho-

Catholici Huntlæi. (γ.) *Tandem subnectit Epilogum, cur varias has sententias recensuerit; Ratio est,* ut dicti Patres, quod cuiq; probabile videtur, ex hâc historiâ colligunt, sibiq; retinent, diversum sentientes nequaquam damnant; Ita & licuisse sacro sancto (scilicet!) concilio suam sinu fovere sententiam; Tamen diversos non statim anathemate damnare. *Hæc rudis œconomia est prolixi examinis super canonem istum primum.*

CLII. *Hæc paulò altiùs repetenda fuerunt, ut colligeret ex illis quisq; rationem,* quomodo D.D. Chemnitius verbum DEI scriptum corruperit. *Ego sanè, nisi me omnia fallunt, corruptionem video nullam: Forsan autem ideo, quia* corrumpit corrupti *concilij canonem, h. e. exenterat, refutat: Si verò ideo, quòd has interpretationes diversas circa hanc historiam recenset,* etiam Bellarminus erit corruptor *verbi* DEI, *qui l. 1. c. 19. ex P. Lombardô (at quantô sententiarum Magistrô!)* erroneam *adfert opinionem, ex ejus l. 4. d. 2. Paulò pòst ex eôdem & D. Thomâ (angelicô licèt Doctore)* improbabilem: *Vtramq; circa hunc baptismum Iohannis: citante Domino Præs: in contrad: pont: c. 25. n. 1: p. 702. Ad hæc si quid ex nudis verbis colligere licet; Id saltem inferetur: Ergo Chemnitius obscurum hunc locum* statuit: *Quomodo hæc ad* corruptionem? *Aliàs omnes Pontificij, non unum locum, sed totam scripturam obscuram statuentes, ineffabile, quanti* corruptores *dicendi: Sed mentem Domini D. Chemnitij satis puto revelatam, quòd magis fiet, siquis cum judiciô, & absq; præconceptô errore, Examen illud relegerit. Nam, quod verè Poëta cecinit.* Dulciùs ex ipsô fonte bibuntur aquæ.

QVÆSTIO X. & VLTIMA

An Philosophia contrarietur Scripturæ?

CLIII. *Præpono hìc, me in triviô quasi constitutum nec affirmare*

mare, nec negare Thesin hanc simpliciter posse. Ergo distinguo (α.) *Inter Philosophiam ratione* essentiæ, *& ratione* exsistentiæ *consideratam* (β.) *Aliter de Philosophiâ* existente *judicatur* in subiectô gentili, *aliter in* Christianô. (γ.) Christianos *alios* admittere *Philosophiam*, *alios* repudiare (δ.) Admittentes alios uti *Philosophiâ*, alios abuti. (ε.) Abutentes alios *Philosophiâ* peccare in excessu, *alios in* defectu, *Hæc generaliora lineamenta si coloraverimus, de veritate aut falsitatate theseos hujus nulli ingenuo residebit dubium.*

DISTINCTIO. (I.)

CLIV. Philosophia vel in essentiâ consideratur, vel *in* existentiâ. Illa *est Philosophia quatenus* abstractivè *illam mihi imaginor, qualis in se est, aut esse debuit:* Hæc *est, quatenus* concretivè *eam intueor, & qualis est jammodo in corruptâ hominis mente, nempe simul corrupta. Illa ἁπλῶς negatur contraria esse scripturæ, vel verbo* DEI: *Quia utrumq; bonum, & ab eâdem* causâ efficiente *bonâ. Iac. 1. 17. Tum* subiectum in hæsionis *suppar utriusq; est recta ratio: Ad* contraria in eôdem subiectô simul & semel esse, *contra sanam rationem est. Adi Dn: D. Meisn: P. 1. ph: sob: s. 4. c. 2. q. 3. assert: 1. p. 987. seqq.* Hæc *verò, nempe* existens Philosophia, *non ipsa quidem Scripturis: Sed quædam scripturarum ipsi* (*Philosophiæ*) *contrariantur, cum ob* intellectûs pravitatem, *tum etiam* mysteriorum sublimitatem. *v. hæc fusiùs d. l. assert: 2. p. 996. seqq. Sed & manifestoria evadent ex sequentibus.*

DISTINCTIO. (II.)

CLV. Philosophiam, *quæ* existit, *aliter contemplamur in* subiectô gentili: *Aliter in* Christianô. *Philophia Pythagoræ, Socratis, Platonis, Aristotelis, aliorumq; acutissimorum Virorum, quam in monumentis suis nobis posteritati reliquerunt, nequidquam contrariatur Theosophicis nostris Prophetarum ac Apostolorum scriptis: Ratio est; quia dicti doctiq; Viri*

caru-

caruerunt notitiâ harum scripturarum: Ignorantia verò neq; contradictionem, neq; negationem simpliciter gignit; *siquidem ex re* latente; *Negatio verò & contradictio ex probè* perceptis *surgit.*

CLVI. *Nec* obstat (1.) *Exemplum* Platonis, *exsibilantis scripturam Pentateuchi, quòd* ἀλόγως *conscriptus part: ant: Th:* 51. *Nec* (2.) *Exemplum* Arpinatis, *Scabiosè de Iudæorum religione, & consequenter scripturis Propheticis, quibus continebatur, judicantis: Nã ut utrumq; parietem unâ fideliâ dealbem,* R: (1.) *quæ Th: præc: de verâ hujus rei causâ dicta. Adeoq; non* Philosophiæ, *sed effronti illorum temporum, gentium, atheismi pertinaciæ, in quâ occalluerant ingenia ista a, cceptum id ferendum: Aliàs, quin* Plato, *qui* divinus etiamnum Philosophis *dicitur; Et* Tullius, *qui admirandas & tantùm non ferè christianas de Diis & eorum naturâ meditationes nobis tradidit, si imbuti fuissent rore salutaris hujus scientiæ, aliter sensissent; nullus dubito.* (2.) *Esto, expunxerit animis eorum* Philosophicum *istud acumen veram veri* DEI *notitiam; Esto, sit causa vilipendij illius scripturarum* Philosophia; *Non tamen in* Essentiâ, *sed* Existentiâ *considerata id fecit. Neq; simpliciter in* existentiâ; *sed quatenus eâ abusi sunt homines isti: At* abusus bonæ rei simplicem ac universalem contrarietatem non causat. *Hæc de ebnicismô. Nostra verò & superiora quinq; & decem secula quod spectat, vide distinct: seq:*

DISTINCTIO. (III.)

CLVII. *Qui* Christiani *audiunt, iterum discrepant sententiis: Quidam* Philosophiam admittunt *quidam* ab aâ abhorrent. *Hos dicas* Mennonistas *nostros, aliosq;* Anabaptisticos *idiotas, quibus Mammona in capsulis colere volupe est; Sapientiam verò & humanniores scientias in mente, piaculum. Hinc asinina ista ruditas, ut altiùs petitô argumentô ubi reprehenduntur, quô se vertant nesciant, nisi forte an ad suũ illud* πολυθρύλλητον Dat is my to hoch! Dat sall ick nich vernehmen! *Horum ergo error contrarietatem*

Philosophiæ & scripturarum *statuit*: *Sed error est: quod partim ex dictis, partim ex antithesi Th: seq: patebit.*

CLVIII. *Nec obstat* (1.) *Col: 2. 8. Nam* R. *Iterum distinguo inter* Philosophiam Idealem, & realem: *Illa planè nequit, neq; hæc simpliciter, sed* κατὰ τι *& propter* Accidens *abusûs decipit, & sic potest dici aliquô modô contraria: Quòd autem* de solô abusu Apostolus loquatur, *patet ex verbis immediatè subsequentibus:* inanem fallaciam; *Ergo ea* Philosophia, *quæ* fallere *docta, intelligitur: Quâ ratione & nos studium ejus* cane pejùs & angue *oderimus.* (2.) *Implicitè hoc dictum pro nobis. Quando enim Spiritus S. inquit:* Cavete, ne quis per Philosophiam vos decipiat; *Monet & autor nobis est, ut nobis caveamus à* Philosophicis fallaciis: *At quomodo id fiet? Non sanè melius, quàm si & ipsi sciamus fontes sophisticationum; Ergo omnino ad eos obturandos addiscenda* Philosophia. *Vt enim multi digladiatoriam addiscunt, non lædendi, sed læsuro resistendi, & eundem cohibendi ergo: Ita & hìc: Et quemadmodum viæ gnarus vix in errorum devia diducitur; Ita accuratus* Philosophus *ægrè ab Sophistâ superabitur; Sed* Philosophiæ *adminiculô* Philosophicarum *fallaciarum casses evitabit.* DICES: Cum tamen accidentaliter deceptionem ex Philosophiâ provenire posse fatearis: Tutius est illam ignorare, quàm cum periculô callere: *Sed* R. *Ergo &* Scriptura *ipsa abolenda, quia hæresiarchæ istâ etiam abutuntur Matth: 4. 6.* Sol & luna, *quia & his abutuntur homines Deut: 4. 16. seq. c. 17. 3. Sap: 13. 2.* cibus & potus, *quia & illis abutimur: Ies: 5. 11. 22. Syr: 31, 20. c. 37. 33. Sap: 14. 23. Luc: 21. 34. Rom: 13. 13. Gal: 5. 21. Eph: 5. 13.*

CLIX. *Nec obst:* (2.) Sapientia mundi confusa: *In quam sententiam multa dicta glomerantur: v. c. Ies: 5. 21. c. 29. 14. Matth: 11. 25. Rom: 1. 12. 1. Cor: 1. 19. 20. seq. &c. Nam* R. (1.) *committitur fall: Æquiv: & Phras: Mundus enim, quod notum est, varias & plures habet significationes; v. Phil: sob: P. 1. s. 1. in append: q. 2. p. 391. Adde: Sumitur nonnunquam etiam in eô sensu, ut vocabulum*

caro,

caro, *quod* Spiritui *oppoſita, ut Gal: 5. 17. &c. pro carnalibus vitiis ponitur: Ita hìc vocabulum mundi, Deo oppoſitum, mundanas pravitates denotat; Et phraſis hæc:* Sapientia mundi, *idem eſt, quod* Sapientia prava, Deo inimica *Luc: 16. 8. (2.) Hoc probo ita eſſe intelligendum ex inſpectione ſingulorũ locorum: Ieſaias utringz planus, quod de vitioſis loquatur. Matthæus à v. 20. ad hunc usgz 25. ſenſum ſuum explicat. Paulus ad Rom: 1. v. 18. ſeq. ad Cor: ſeq: nam* reprobati confuſi hi ſapientes dicuntur: *Non autem propter ſapientiam quis confunditur, quæ eſt donum Dei maximum, ut in Salomone &c. ſed quando ſapientiam non ſupponit, ſed præponit, & opponit Deo & ejus verbo, ſcripturæ ſacræ. Hujus generis erant* Philoſophi iſti Epicuræi & Stoici *Act: 17. 18. (3.) Si omnes Philoſophi, mundanam ſapientiam habentes, i. e. talem, quæ non contemplatur cæleſtia, quod ad Theoſophum ſpectat, reprobantur, falſa ſunt expreſſa verba Act: 17. 34. Nam Dyonyſius ille Areopagita Philoſophus, & quidem Platonicus dicitur fuiſſe, teſte Ant: Poſſev: in appar: ſac: T. 1. p. 472. edit: Col: anno 1608. ex Ioh: Bapt: Criſpi, Philoſophi Chriſtiani libro de Philoſophis cautè legendis.*

CLX. *Nec (3.) obſt: Rom: 8. 7. Nam* Rz. *Idem Elenchus occurrit: Nam* Φρόνημα τῆς σαρκὸς Sapientia, affectus carnis *ſignificat pravum carnis deſiderium, ad deteriora inclinationem &c. & ſic ſemper uſurpatur, quando opponitur Spiritui, quod non ſolùm ſæpe aliàs, ſed & hôc ipsô capite v. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9. &c. ita uſurpatur. Sed hoc nihil contra nos: Concedimus enim, non ita philoſophandum, ut* carnaliter ſapiamus, *h. e. ut cum Cirenaicis &* Anniceris Philoſophis, *de quibus Cic: l. 3. off: ſub fin: omne bonum in voluptate ponamus.*

CLXI. *Nec denigz (4.) obſt:* Exemplum Chriſti, rudes, & minorum gentium homines vocantis ad docendi hoc munus: *Nam* Rz. *(1.) A conditione temporum primitivæ eccleſiæ, ad noſtra, N. V. C. Nam ut hodie non Saracenum quempiam, aliumve Tyrannum,* electum ſibi vas eligit, *Act: 9. 15: Ita nec ejusmodi ſimplices*

homines. (2.) *Necessitas melioris literaturæ in hôc exemplô præsupponitur: Rudes & plebeji erant; Sed antequam conscenderent suggestum* totius orbis *Matth: 28. 19. Marc: 16. 15.* omnes linguas callebant *Act: 2. 6. ad 12. Vbi hodie quis ita immedtatè eruditur? Ergo omnibus viribus annitamur, ut per media ordinaria hæc eadem acquiramus, quantum licet: Nempe per studium Humanitatis, & Philosophiæ, quæ hujus sapientiæ divinæ instrumenta (3.) Paulus Timotheũ suum 2. ep: 2. 2.* de IDONEO sibi jubet prospicere, quem docendi muneri præficiat: *Ergo non proletarium quemq; jam tum suo tempore D. Apostolus agnovit:* (4.) *Quod ad objectiones has omnes in genere notari velim. Non* necessariam Philosophiæ notitiam dicimus absolutè, sed saltem accuratioris scientiæ ergo. Nam non essendi, sed cognoscendi principium, vel instrumentum, Philosophiam habet Theologia.

DISTINCTIO IV.

CLXII. *De* Admittentibus Philosophiam *sequitur. Horum alij* utuntur Philosophiâ, *alij* abutuntur. Illi *sunt qui mediam inter extremitates (de quibus Th: seq.) caltant viam, & examussim quidem, quoad ejus in hâc imbecillitate fieri potest, subtilitates* Philosophicas *pernoscunt, ut acutissimè* philosophari *sciant; At ita tamen, ut in suô forô maneant. Ad Theologicum verò ubi deventum,* Philosophia *hæc ipsis instar* foliorum *est, i. e.* ornamentum; Scriptura arboris, *i. e.* fundamentum; *Et illâ utuntur quidem, methodi & accurationis ergo; Tamen* SOBRIE, *juxta id Sap: 9. 16. Ioh: 3. 12. 2. Cor: 10. 5. Et quod in proverbiô est:* Sutor ne ultra crepidam. *Hoc sensu tantum abest, ut Scripturæ adversetur, ut potius aurea, eaq; innumera ad utriusq;, quippe subordinatorum, conjunctionem, extent incitamenta: Quem in finem etiam Nostras Cl. Theologus & Excell: Philosophus Dn. D: Meisnerus labore incomparabili, & omnibus gazis pretiosiore tres de* SOBRIA PHILOSOPHIA *libros nobis, cum nunquam intermoritura sui memoriâ, reliquit.* Hi *verò sunt Pontificij, Reformati, Neo-Photinani &c. qui ex-*

tra carceres Philosophiam *extendunt, contra Theologiam: Et quamvis sic unum omnes errorus habeant fundamentum; Tamen non incommodè eos in duas classes distinguimus, quæ alterum membrum suppeditant.*

DISTINCTIO V.

CLXIII. *Dupliciter peccant* abutentes Philosophiâ; *Quidam in* excessu, *quidam in* defectu. *In* excessu *quidem deviantes sunt, qui incredulo genio & rationi (non in naturalib⁹ occupatæ; Ita enim nullam contrarietatem dari Th. 154. diximus.) nimiùm indulgent: Quò pertinet Reformatorum & Photinianorum Philosophia: Inter quas sectas intercedit quædam, eaq; non minima, familiaritas; Non equidem* ratione convenientiæ in dogmatis; *Quamvis & hic præcipuè in locô de Baptismo atq; S. Cœnâ illi his arma nonnulla suppeditent, proprio jugulo fatalia: Sed* ratione fundamenti erronei, *cuiutriq; innituntur, quodq; est pariter argutari, cavillari, & nescio quorsum non scripturæ oracula rationis indagine evehere.* Hi, *quamvis non rejiciant, tamen rejicientibus non minùs peccant; Vel magis etiam: Hic enim Philosophia vergit in incômodum Scripturarum;* Sicq; ei verè contrariatur: *v. c. Scriptura dicit:* CREDITE, *quia non percipitis, Philosophastri isti.* COMPREHENDITE, *quia percipitis. &c.*

CLXIV. *In* defectu *peccat* Philosophia Pontificiorum, *vel* Theologia scholastica, *quam vocant, quæ autore P. Lombardô, Episcopô quondam Parisius, aliàs* Magistrô sententiarum *dictô, cum Lanfrancus in Angliâ jam antea viam straverat, circa A. C. 1160. introducta. Hic* Magister *utramq; cum* Philosophiâ suâ *paginam facit in scholis Papistarum; Et notum, quanti eum Franc: Stankarus Mantuanus Italus, Heb. L. in Acad: Regiom: P. P. olim fecerit; Ut* scilicet plenus buccis diceret: *Unum Lombardum plus valere, quàm C. Lutheros, CC. Melanchthones, CCC. Bullingeros, CCCC. Martyres, & D. Calvinos. Dn. M. Micral: Synt: Eccl: l. 3. q. 3. ut & q. 75. p. 1039. Formidabilem heroa, mille quingentis prævalentem hostibus*

ſtibus; Cum ne Hercules quidem adverſus duos! *Hâc* Philoſophiâ *antiquitus perſonabant templa & ſcholæ, ut quoquò te verteres, hunc thriorum ſtrepitum perciperes. Notabilis eſt B. Patris noſtri in hanc rem ſententia*: Die Doctores in den hohen Schulen hetten ſonſt nichtes zu thun/ deñ newe opiniones einer über den andern zu erdencken; Vnd es hette einer nicht mit ſonderlichen Ehren mögen Doctor ſeyn/ wer nit hette was newes auffgebracht. Ihre beſtes aber war/ daß ſie die Schrifft verachteten/ vnd vnter der Bancke liegen lieſſen: Was Biblia/ Biblia? ſprachen ſie/ Biblia iſt ein Ketzer-buch: Man muß die Doctores leſen/ da findet man es. Ich weiß/ daß ich hie nicht liege: denn ich bin ja vnter jhnen auffgewachſen/ vnd habe ſolches alles von jhnen geſehen/ vnd gehöret ꝛc. *v. ſeq. Tom: 5. Jen: Germ. f. 83 a.* §. Dazu halffen die Doctores. *Et quamvis modernô tempore aliquantò ſaniorem mentem induerint, ut locus, quantuluscunq; ille ſit, non tamen nullus detur Scripturæ. Manet tamen, quod plùs nimiô* Philoſophiæ Ariſtotelææ tenaces, præcipuos ſuæ doctrinæ articulos in illis fundent. *Meiſn: Anti-Leſſ. P. 2. conſid: 8. art: 2. p. 298. Aliiq; præ aliis ſibi in iſtâ ſapere videntur, ut peculiaria inde ſortiti ſint nomina*, Thomiſtarum, Scotiſtarum, Occamiſtarum, Albertiſtarum, &c. DICES: Quì hìc contrariatur quiſpiam ſcripturæ? R. *Quia nihili, otioſis, & ſupervacaneis quæſtiunculârum tricis fidei dogmata implicuerunt, poſthabitâ ſcripturâ, de quô conqueritur ipſe Ioh: Lud: Vives Valent: comm: in l. 11. Auguſtini de C. D.* Thomas, *ait*, eſt nimis Ariſtotelicus, & res omnes, naturæ vim, captumq; excedentes, cogit naturalibus parere legibus: ceu verò opus id fuerit. *Similes ſuper hâc Scripturæ cum Ratione, quaſi cœli cum terris mixturâ, querelas effundit Idem in l. 13. c. 1. col. 707. & in l. 18. c. 18. col: 1050. & in l. 20. c. 16. col. 1226 aliiq;, ut Melchior Canus, Marius, &c. quos citat R. & Cl: Dn: Præſes in Contrad. c. 6. n. 3. p. 289. Vt jure de his omnibus dicas, quod de Epicuræis Tullius*: Quam miſer ſcripturæ & fidei famulatus, ſervientium rationi! *l. 3. off: fin.*

CLXV. *Nec* obstat (α.) Ratio est donum DEI: Atqui frustra, si non eâ utendum *Nam* R. *Iterum dist: Inter* Rationem *vel* Philosophiam in Concretô, *& in* Abstractô *consideratam: De illâ simpliciter consentimus: De hâc, quæ scilicet ad abusum trahi potest, quatenus scripturæ & legi divinæ subjacet.*

CLXVI. *Nec* (β.) Obst: Lux parva (*ratio-Philosophia*) non adversatur luci majori (*scripturæ-Theologiæ*) *Nam* R: (1.) *per se non adversatur, sed per accidens.* (2.) *per limit: Lux* parva non adversatur magnæ *Exc: Nisi* parva illa lux comparativè tenebricosa sit: *v: c: Lumen lunæ* parvum *est,* magnæ *tamen solis luci, dum ea ecclipsin patitur, adversatur.* 3.) *ad Min: hoc ita applico: Ratio nostra est* lux parva, *sed tenebricosa, quod dicta apertissima testantur; Ies: 9. c. 24. 18. c. 42. 7. Ies: 60. 2. Matth: 4. 16. Luc: 1. 79. c. 24. 25. Ioh. 15. c. 3. 19. c. 8. 12. c. 12 35. 1. Cor: 1. 23. Eph: 4. 18. c. 5. 8. 1. Thes: 5. 5. 2. Pet: 1. 19. 1. Ioh: 1. 6. 7. c. 2. 8. Et quotidiana experientia clamat, quod* naturalis illa lux *neq; ad naturalia lux sit, propter depravationem Sap: 9. 16. 2. cor: 10 5.*

CLXVII. *Nec* (γ.) obst: *Rom* 12. 1. Cultus N. T. dicitur rationalis: *Nam* R. *est fall: phras: In V. T. immolabantur* DEO *sacrificia, ut notum: Prædictum autem â Prophetis, etiam* tempore N. T. fore Christianos ad sacrificia offerenda obligatos *Ies: 60. 7. Zach: 14. 21. Ne ergo quis putaret, & tam bove mactatô Deum gaudere: & cum oblatâ Christô victimâ typi isti oboliti, ut scirent rationem sacrificij dictis locis præmonstrati, hic Apostolus id inculcat: Nempe cum* omnes sint sacerdotes N. T. *1. Pet: 2. 9. Apoc: 1. 6 25. 10.* victimam corporum suorum *â Paulô* offerre iubentur *i. e. se totos, quanti quanti sunt:* (1.) Obedientiâ, *quæ* præstat sacrificiis *1. Sam: 15. 22. Eccl. 4. 7.* (2.) vitulos labiorum *Os: 14. 3. Heb: 13. 15. 16.* (3.) Sacrificium fidei *Phil: 2. 17.* (4.) Eleemosynarum *Phil. 4, 18.* (5.) misericordiæ *Hos. 6 6. Eccl. 4. 7. Matth: 9. 13. c. 12. 7. Quæ omnia offerenda super aureô altari Christô, ex verâ* fide, in spiritu & veritate. *Ioh: 4. 24. Hic sensus dicti*

Aposto-

Apostolici, interprete Dn. D. Cramerô in notis super h. l. Iam â cultu in N. T. Sacrificandi mysticô ad Philosophiam vel rationem argumentari, est â baculô ad angulum.

CLXVIII. *Nec (3.)* Obst: Scriptura exigit rationis usum, ad mysteria capienda, Nam *Matth: 13. 23. c. 15. 10.* auditum & Intelligentiam postulat *c. 16. 10.* intelligentiam & recordationem *Rom: 1. 20.* Intelligentiam & visionem *&c. Nam* R: (1.) *Quòd homo sese habeat ad mysteria ut lapis ac truncus, numquã statuimus: Ergo omnino* concedimus rationis usum requiri, sed sobrium. *At quàm primùm incipit homo niti huic judicio, juxta falsò præconceptã opinionem, incipit simul* calcitrare adversùs stimulum *i.e. reluctari veritati scripturæ. Tum non ratione amplius utitur, sed turpiter abutitur.* (2.) *Adducta scripturæ dicta partim* de parabolicis *agunt* concionibus, *ut priora, quæ arguunt magis cæcitatem Matth: 13. 10. 11. Aut agunt* de gentium cognitione divinâ ex libro naturæ, *non scripturæ: ut postremum: Hoc verò cognoverunt:* Nam nulla gens tam fera atq; immansueta, quæ non habendum DEUM esse sciat. *Cic: 2. de leg: 2. de nat: Deor. 1. Tusc: qu: De Arusp: resp: Plaut: in capt: Act: 2 Sc: 2. v. 63. At sequitur v. 21. Eos hoc neglexisse, nec ulterius inquisivisse, quod fieri ex scripturis debebat. E. hic nil contra nos.*

CLXIX. *Nec deniq;* (4.) Christus similibus ex naturâ petitis usus est, ut caperemus: *Nam* R: *Hoc arguit nostram cæcitatem; cui Christus se accommodare voluit: Nec tamen naturalia ea potuere intelligi, v. Th: antec: De reliquis coràm:*

Hìc terminus esto assertionis nostræ catholicæ, quâ nos â μισογράφοις omnibus sequestramus, Te DEVM *O. M. S-S. scripturarum Auctorem & Vindicem obsecrantes supplices, ut nos in agnitâ hâc & simplici pietate usq; & usq; conserves, & nos* sanctifices in veritate tuâ, sermo tuus est veritas *Ioh: 17. 17. Perduellionibus verò orthodoxæ nostræ fidei* aperi DOMINE oculos, ut nobiscum videant mirabilia legis tuæ ψ. *119. 18.* & informa eos iuxta verbum

bum tuum *v. 170. si optabile est: At enim* si corda obturant ℣. *95. 8.* vel aures ut vipera, ℣. *58. 5.* Convertantur retrorsum, & confundantur, qui oderunt Sion. ℣. *129. 4. Sed cum futurum,* ut crescant zizania *Matth: 13. 30.* custodies nos â generatione istâ in æternum ℣: *12. 8. Fiat! Fiat!*

Mantissæ.

I. An B. Lutherus libenter voluerit rejicere tria Evangelia, Matthæi scilicet, Marci, & Lucæ? N. *Contra R. Bellar. Card: l 1. de V. D. c. 6. & contra Leonh. Less: Iesuit: altosq; cum Dn. D. Meisn. in consult: Cath: P. 3. Rat: 11. p. 557. ed: Witt: ao. 1625.*

II. An exemplum D. Hieronymi, ad tribunal veritatis vocati, ibidemq;, quòd Ciceronianus esset, vapulantis (*v. Tom: Ejus 1. ep: ad Eustochium virginem,* Audi filia & vide, *&c. p. 134. præsertim p. 145. edit: Basil: anno 1565. per Episcopios.*) SS. Th: Studiosum abs Tullij, aliorumq; secularium lectione arcere, contraq; ut scripturam exclusivè

nocturnâ versare manu versare diurnâ

desideret, instigare possit? N. *cum Eôdem Hier: ex l. 1. contra Ruffin: v. T. 2. p. 209. & ex ep: ad M. Oratorem T. 2. p. 326. dictæ edit: confer: L. Vallam lib: Eleg. 14. in præf: p: 297.*

III. An SS. Scriptura Judex controversiarum fidei? A. *contra commune Papistarum dogma, & non-neminem publicè hôc locô id nuper defendentem.*

IV. An Scriptura simplex, & in illâ simplicitate majestatica. A.

V. An jejunium Pontificium Quadragesimale adeò necessârium, ut aliâ atq; piscium carne vescentes, necessariò condemnationem mereantur? N. *Quia (1.) contra scripturam Rom: 14. 15. ad fin: 1. Cor: 8. 8. fin. Col: 2. 16. &c. (2.) falsæ hypothesi innititur. Christ enim Matth: 4. 2. volunt esse simiæ. (3.) Est hypocriticum jejunium: Quia solis Laicis necessarium; Superlativi verò in Ecclesiâ Pontificiâ potestatem dispensandi habent.*

bent. (4.) *Est saltem delectus cibi i. e. puerile jejunium.* Quid enim est magni, si tantùm delectis quibusdam cibis te ingurgitas, & solâ carne abstines, *inquit Ioh: Hoffmeist. Pontificius in c. 4. Luc: p. 399. lin: 14. edit: Col: anno 1572.* (5.) *fit ex opinione cultûs & meriti.*

VOTIVA ACCLAMATIO.

IN causis verbique piis in casibus almi
Perdidit officium *Naso* porisma tuum:
Fortunâ florens, pariter florebis amicis,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Ambigis? *Annales* attentus consule *sacros,*
Gestaq́; tot seclis collige mente retro,
Ac tibi paulatim glomerabitur inde videnda
Credibili major penè corona virûm,
Usq́; sui similes quos æquè ac sensit amicos
Tam bona quàm *verbi* sors miseranda *sacri:*
Quos, ne *Scripturæ* tutamina dura subirent,
Sacræ, non valuit flectere furca, rota.
Nec metus est, olim ne desinat ista propago,
Ipsi cottidie substituente DEO.
Hujus qui ducibus sè dedidit antè Senatus,
En modò *Bentherus* tiro novellus adest,
Ostendens specimen rudimentaq́;, semper Orestem
Se fidum *verbo* velle manere DEI.
Votis digne piis assuescere perge palestræ,
Commoveat mentem Jova manumq́; tibi,
In causis sacris possis ut dogmatis olim,
Dignè patroni munus obire boni.

Sic amore intimior quàm veterior
à Musâ meâ ponere jubebat
JOHAN-GEORG: ADAMI Pom:

ALIA

ALIA.

Οὔτι σιβήνιος πάλιν ὤχετο χείμαλος ὥρη,
Ἄνθεσιν ἠερινοῖς βρίθει ζείδωρος ἄρουρα,
Ἠδὲ νομῆς ἦλθεν θαλερὸς χρόνος ἀμπελόεσσης,
Τῷ θνηλοὶ σύμπαντες, ὅσοι νέοι ἠδὲ γέροντες
Συγχαίρωμεν, ὅθ' αὖτη ἐπῆλθεν ἐαρίερη ὥρη,
Καὶ τῇ τέρπονται γενεαὶ κηπουσι καὶ ἀγροῖς.
Ὡς σὺ φίλ' εὐφρονέων μοι τέρπεαι ἦρος ἐν ὥρᾳ
Τοῖς κηποῖς ἱερῶν βίβλων καὶ ἰῶν θεοειδῶν
Ἠδὲ λὰ συλλέγεαι ἀπὸ τῶν ἄνθεα ἅγνα
Ὀσφαίνῃ, καὶ ἀληθαίην διδαχῆς ἀποδείκνυς'
Χρισομάχοις. μένε εἰν πράξ' ὧδε πορεύεσ' ἐπ' ἄρρα.

τῆς Φιλαδελφίας ἕνεκεν
ἐποίησε

PAULUS PALENUS Arnswald.
Neo-March:

ALIA.

JOANNES BENTHERVS AVTOR ATQVE RESPONDENS.

Per Anagramma

QVID PUTAS? ARTES NONNE HABENT OSORES? RENUE!

QVidnam HABEANT ARTES, neſcit plebs ſtulta, laboris;
Hinc quòd EAS ſpernat nos quoq; NONNE PUTAS?

Attamen egregius Virtutis & ARTIS amator,
Is rerum prudens arbiter esse solet.
CODICIS ingenium doctâ nunc indole monstrans,
Despicis OSORES, *par referendo pari.*
Non minùs, hortor ego, RENUAS præconia vulgi:
Est etenim doctis sat placuisse Viris.

In veri amoris τεκμήριον pauculæ
hæc addidit
PHILIPPUS D. F. CRAMERUS.

ALIA.

ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ

AD

Dn. Respond: S. S. Triados Numine pro palmariô
Theologiæ Christianæ articulô disputaturum.

JANUS BENTHERUS Neo-Treptoviâ Pomeranus,
Thesium auctor juxtim ac Respondens.

ἀναγραμματισθείς (x. resolv: in cs.)

HUNC CAUTE STREPITUM VESANI O SISTE THRIORUM
PAPÆ! CONNISUS ROBORE: NUMEN ADEST!

MIscet terrificô VESANUS murmure cœlum
PAPA, fremit, sacrô fulmine terret eum,
Humanæ exosus penitus deliria mentis
Sacra Dei, zelô, qui monumenta colit.
HUNC CAUTE STREPITUM SISTAS! ô SISTE TRIORUM!
Verbi CONNISUS ROBORE: NUMEN ADEST!

deprompta ἀντιπελαργώσεως καὶ φιλίας
ἕνεκεν ab
ANDREA HOGREVIO
Palæo-Sedin: Pom:

ALIA.

בְּחֵפֶץ רָב־אָדָם עֲשֹׂר עַוָּל יָגַע׃
צְבֹא בֶין־פָּרָשִׁים בְּעוֹז אַחַר יָגַע
פְּתִי אִכָּר חָפֵץ חֲרֹשׁ אֶת־שָׂדֵיהֶם
וְעַד הָאָסָם טוֹב אֱגֹר אֶת־נִיבֵיהֶם׃
אֲנִי אַף שִׁבַּחְתִּי צְדִיָּה טוֹבָ תֵךְ
דְּבַר־יְהוָֹה שֶׁזַּמּוֹתָ לִבָּתֵךְ׃
חֲכַם־לֵב כִּי דָבָר לְמִן מִקְרָה גַחְתָּ
וְטוֹב נִדְבָּרִים לֶאֱמוּנָה שָׁבַרְתָּ׃
מְאֹד כֵּן אַשְׁרֶיךָ עֲדֶן שֶׁשָּׁקַדְתָּ
יְהוָֹה אֵל־בִּדְבַּר וְאִתּוֹ לָמַדְתָּ׃
פְּצֹר כַּךְ רֵעֶה בָחֲפֶצֶיךָ עַזִּים
וְתָמִיד יִרְצוּ אֹתְךָ כָל־לִמּוּדִים׃

Παράφρασις ἑλληνική.

Παντοδαπὰ ςέργει θην ἀςαθέων γένος ἀνδρῶν.
καί ῥα φιλοκτεάνοιο νόȣ βεβαρηότες ὄιςρῳ
ὤνιον ἔργον ἔχȣσιν· ἀθεσμοβίων ςρατὸν ἀνδρῶν
ἄῤῥατοι ἔσπονται δὲ μαλήμονες ἀσπιδιῶται.
γειαρότης ἤρωσεν ἐόν τοι χῶρον ἄκαρπον
σπȣδῇ, καὶ ἀυχήως σιτοβολόντι γεμόντι
τέρπεται ἐκφοριῶν. Προσφίλτατε ΒΕΝΘΕΡ ἑταῖρε,
ἀλλὰ τεὸν μόχθον λίαν ἄινω, τὸν μὲν ἀνέχȣ
ἐυαγέων δὴ παγγενετάο θεȣ̃ περὶ μύθων.

ὦν σὲ κατευλωγέ μακαρώτατον, ὃς βασανίζεις
ὄντα θεογλώσσῳ κεχαραγμένα ἔμφρονι βίβλῳ,
δήπου τοῖσιν ἔχουσι, χρόνου παλιναν ξέϊ κύκλῳ
πάντες ζωὴν οὐ μινύθουσαν. ἐνίσαθι ταύτῃ
ἐν προθέσει, καὶ πᾶσι σοφοῖς κεχαρισμένος ἔσση.

Paraphrasis latina.

DIversis diversa placent. Cumulare caducas
Divitias inhians opibus nunc quisq́; laborat:
Expetit ast pugnax miles concurrere ferro:
Arva colens gaudet ferro recludere terram,
Horreaq́; hornarum frugum complere catervâ.
Acre tuum studium cælo sed laudibus æquo,
Quod confers sapiens summi in sacra jura Tonantis:
Nam, diæ profers suavis BENTHERE, in apricum
Mentis opus studio tersum de codice sacro,
Atq́; strophas hominum ventosas arte refellis
Vanorum. O igitur felix ter & amplius! altâ
Sanctas mente Dei leges noctesq́; diesq́;
Qui volutas. insta, doctus te quisq́; fovebit.

Φιλίας ἕνεκα ingenioso Dn.
Respondenti adposuit
PAULUS SAGITTARIUS
Julinô-Pomeranus.

ALIA.

Φεῦ! φοβερὸς χεῖρας μεγαλῶς χαλκῶ διατείνει,
Ὅπλα καὶ οὐ τιθέναι ὁ Ἄρης ὑπεροπτικὸς οἵδε

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ ἐπιῤῥίπτει συνεχῶς βαρύμηνιν ἰωνὴν
Καὶ δόλιον θυμῷ ὑψαύχενι μῆτιν ὑφαίνει
Ὃν τρόπον ἡμετέρας γλυκερὸν τῆς πατρίδος ἄμμον
Ἐκβάλλειν ἀμέλει ποσὶν αἱματενοῖσι, δύνηται,
Καὶ τοὺς ἀνθρώπους βαρυθυάδι φωνῇ ἐνοχλεῖν,
Ἀλλὰ τί; οὗτος ἀρεῖ βίβλων καὶ θέσβατα γράπτα;
οὐχὴ, ταῦτα μενεῖ γὰρ ἕως χρονίῃ παρὰ νύσσῃ
Ἱππεύων ἀκίχητος ἑλίσσεται ἔμπεδος αἰών.
Τοῦθ' ὅτι γινώσκεις σὺ ΙΩΑΝΝΗ ἀγαπητὲ,
Τοὶ γὰρ μαρτυρίην ζυνὴν ἐνέπεις περὶ τούτων
καὶ ἅμα προσβάλλεις τὸν ἀνάρσιον ἠπεροπῆα,
ἔμπεδον ὃς μῦθον πλανέεσσι τίθησιν ἀκούαις.
ἔνθα σοὶ οὐ κόσμοιο χάρις, χάρις ἀλλὰ θεοῖο
ἔσται, ἀειδομένην καὶ ὄισεις πάντοτε φήμην.

Honoris & affectus sui contestandi gratiâ hæc adjecit

ANDREAS BLANCKENBURGIUS
Bernoâ-March.

ALIA.

VIta brevis, variôque venit vexata labore:
Sæpe etiam in cunis nos Libitina rapit.
Sola hominum ætatem longos extendit in annos,
Ingeniô virtus quæ comitata bonô.
Hæc Juvenis secum BENTHER sub pectore volvens,
VIRTVS, ingenium noluit, ut lateant
Libavit varios Musarum industria flores
E *sacris*, & in hôc seminat Emporiô.
Æternùm vivat: Gedani quæ gloria cœpit
Crescere, eam summi terminet orbis apex!

Sic gratulabundus Amico suo fraterno applaudere voluit

GEORGIUS BUCCOVIUS
Munchbergâ-March.

ALIA.

AMbiguæ litis Judex *Scriptura* sit; Ipsô
(Hoc modò restabat) nunc at de Judice lis est.
Si quôcunq; modô fugat hunc, nihil abfore credit
Papa, putans rectum esse nihil, nisi quod rudit ipse,
Quin nos, atq; *fidem* nostram, sua sub juga mittat,
Furcasq; infames fallax deludat. At illum
Auferet eventu ventus mala votaq; turpi
Autumo. Non etenim causæ, *Benthere*, nec armis
Illius cedes; Bene constans pergito: namq;
Caussa jubet Jovam melior sperare faventem.

Non tam in vacui oppletionem, quàm
amicitiæ testificationem subiunxit
DAVID STECHERVS Pom:

ALIA.

QVi bene FVNDAMENTA locat, bene firmat &
Vt tutæ â Zephyri vi Boreæq; sient. (ædes,
Est FVNDAMENTVM CODEX SACER: Optimè in illô
FVNDATVS, strepitu tutus ab hostis erit.
Jammodo BENTHERVS FVNDAT: Mox exstruet idem.
Exstruat, ut firmum jam bene FVNDAT opus!

Dno. Resp: Præceptori observantissimo
abiturienti abiens in gratam sui memo-
riam reliquit.
JOHANN-VALENTINVS RHETIVS
Dant: Prut:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786501944/phys_0092
DFG

quia dictum est: Ad apprehendendum alas ter-
npij ex illâ. Verùm, Latinè detextis Rabbino-
tque judiciis variis missis, conferimus nos ad
tentias, quibus potius mens sana in corpore
s progressum ad

embrum Tertium.

e Judæorum communiter hanc loquendi for-
ltera vitâ intelligunt, quòd, quamvis pii in
ba patiantur, tamen in altera arctissima ne-
ulandi cum DEO, veluti ex præcedentibus
x R. Salomone, R. Levi, R. Kimchio, quam-
iat: Ita contrà I. reperiuntur haud pauci ex
ribus, qui verba loci citati tantùm de Con-
s vitæ periculis accipienda putant. Confer.
artin. Delrio, (b) quorum iste, *fors*, inquit, *vi-*
diuturnam, ut à DEO illigari Fasciculo Viven-
EO sedulò & diligenter curari, custodiri & con-
n (nam Anima hic vitam hanc præsentem signi-
dimat, sed ne quidem perturbet, ut indicat op-
n funda.

I. Sententia.

D. Frantzi a) De Interpret. Script Sac. Orac. 69. p. 821. & seqq.

b) Adagial. V. T. Adag. 185. p. 197.

ius, eandem planè sententiam fuisse *D. Ioh.*
precantis est, inquit, *Sit Anima tua servata à*
e. numero Viventium. Hoc est, Tua vita custo-
a inter vivos, vita autem adversariorum verti-
ii DEI intereat, ut nesciant, quo se vertant. Sic
(d) arbitratur: *Commune tum fuisse, in populo*
consuetudinem, haud dubiè à Patribus acceptam,
colligere pios in fasciculum & fovere in gremio
homines solent, id quod sibi charum & antiquum
rvare. Voluerunt autem S. Patres hac figurata
unioribus ac imperitioribus, pios curæ esse DEO,
haberi pretio, & conservari ac protegi contra
li & Mundi.

c) D. Ioh. Bugenh. Comment in Sam. Proph. Wittenb. 1524.

d) Hieron. Weller. Comment in h. l.

em sensum facere videtur *Sanctius.* (e) *Fasciculationem significat eorum maximè, qui eodem vita*

e) Sanctius in h. l.

ad h. l. ita comment. Deus te in periculis
am fasciculo involutum, inter eos, quos Deo
vult. Ergo vita postra in potestate
nisi Deo permittente.